



P. Biongo.

Pluteus	Gradus	Series	Nrus
Y	III	I.	42

P 15 16 112

M^r oamis chep. Modly



Algaro Ioseph Drinh
acquisitus à P. Stanislaus Piastch.
2. 1743.

LADISLAI DAMIANI
A SANCTO NICOLAO,
ORATIONES

In variis Hungariæ Gymnasiis
habitæ.

Prima sequentem, honestum est in secundis, tertiusque consistere. Quare non est, cur eorum, qui se studio eloquentiae dediderunt, spes infringatur, aut languescat industria. In præstantibus rebus magna sunt ea, quæ sunt optimis proxima.

Cic. in Oratore.

LADISLAI DAMIANI,
A SANCTO NICOLAO,
E SCHOLIS PIIS
CLERICI REGULARIS,
SACERDÒTIS, & ELOQUENTIÆ
PROFESSORIS,
ORATIONES

In variis Hungariæ Gymnasiis habitæ.



T Y R N A V I Æ,
Typis Academicis, Soc. JESU, Annò 1742.



R187

A M P L I S S I M O
M A G I S T R A T U I
L I B E R Æ , & R E G I Æ C I V I T A T I S
T R E N C H I N I E N S I S ,

Dominis D. Patronis Gratiostissimis.

LADISIAUS DAMIANUS
à S. NICOLAO

CLER. REG. & SCHOLIS PIIS.



Ogitanti mibi,
cui potissimum lucubratio-

A 3 nes

6 DEDICATIO.

nes basce inscriberem, humanitas *Vestra*, *Viri Consultissimi*, in mentem venit, & nativa in literas propensio. Quoties enim memoriam ultimam pueritiae meæ repetebam; offerebat se se religiosissima pietas, & peculiaris omnino solicitude, quâ me pupillum olim, ut poterat intenera ætatula utrōque Parente orbatum complecli, sub defensionem admittere, ab Adversariorum injuriis tutari voluistis. Studiosissima hæc curantia *Vestra*, eò cla-

clariūs resplenduit; quò propius periculum, res nostræ versabantur. Nam alterō, quām dulcissimam Genitricem extuleramus anno, rapacissimi vultures, fortunæ bonis, quorum hæreditatem adire per ætatem nondum mihi licuit, tanta aviditate inhibare cœperunt; ut nescio, quibus artibus, semel & iterum Principis diploma, ad causæ suæ patrocinium extorserint: & relias, ab optimis Genitoribus, in Regia Civitate Vesta possession-

culas, magnam partem im-
minuere conati sint. Et
reapſe, quod iniquo conce-
perant animo, nefariè per-
petrāſſent ; niſi vigilantia
Vestra vaferrimis conatibus
moras primūm, tum insupe-
rabiles impeditiones oppo-
ſuiffet.

Sed, quorū ego serva-
tas beneficio *Vestro* faculta-
tes memoro, quas maturio-
re ætate sponte dimisi? ut,
unusquisque *Vestrūm* lucu-
lenter videat, quod non fo-
lūm Romanæ, & Apostoli-
cæ

cœ fidei agnitionem, & cu-
stodiam, non solum optimarum
disciplinarum studia, à
quibus nullum vitæ meæ
tempus abhorruit, verum
etiam, sacri, & religiosi
statu, quem, ab scholarum
exercitiis, & à pietate Su-
peris jurata Scholas Pias
nuncupant, conditionem, &
locum, Vobis secundùm Cœ-
lites referam accepta. Nisi
enim providentissima cura-
tio Vestra Patrimonium à
direptione vindicasset; ad
prosequenda humaniorum

Scientiarum exercitia, necessario sumptu destitutus, cùm de vicinu, de vestitu, de libris, reliquaque scholastica supellecile, pro honestate, ipse mihi providere in imbecilla ætate nondum possem: maximi beneficii loco, dum vivam, repositurus sum; quòd artes ingenuas opportune combibere, & ad ineundam religiosæ vitæ rationem præparare me, occasionem nactus sim expeditam.

Tot

*Tot ergo nominibus ob-
striclus, ut perenne grati a-
nimi testimonium post me re-
linquam; hoc literarium mu-
nus, Vobis studiorum meo-
rum Curatoribus, & Pa-
tronis destinavi: quorum li-
teratura, & quotidiana lin-
guæ Latinæ consuetudo,
quam in foro, in curia, in
senatu, in judiciis, in tem-
plis, in dati, & accepti co-
dicibus, in familiari, in ci-
vili conversatione domi, fo-
risque excolitis, hoc primùm
apertè docet: veram Roma-*

norum Coloniam à Teren-
tio deducam isthic consedisse;
deinde, ingenitam ad melio-
rum artium instituta incli-
nationem, hodie etiam in
plerisque domibus vivere, &
superesse. Sive enim mitio-
ris Cæli temperies, sive sa-
lubritas aëris, sive soli uber-
tas acutissimō homines inge-
niō proferat, qui munitissi-
mam hanc libertatis Arcem,
præsidium Aquilonaris Hun-
gariæ, commune bonorum
omnium perfugium, fidelita-
tis sacrarium, aram honesta-
tis,

tis, adversus infinitas barbarorum copias, manu, & consilio tutati, finitimae Nobilitatis fortunas, liberos, conjuges, vitam, posteritatem non semel, ab interitu redemerunt: sive liberalis, & honesta adolescentiae institutio, meliorumque disciplinarum assidua cultio, frequentes, mediocris etiam fortunae Civium, filios, ad humanitatem perpoliat: Trenchinum certè tot Viros egregios, & in utrâque republica speciatissimos, sa-

crys,

cris, profanisque Magistratibus præfetos, ad animarum curam, ad Religiosas Congregationes divinitus vocatos in lucem edidit; ut, cum clarissimis Hungariæ urbis decertare audeat.

Quamvis autem originis suæ incunabula ignoret, instauratio nis tamen primordium, & elegantioris formæ speciem Romanis debet; quorum fortitudinis, honestatis, eruditio nis hæreditate dives, nobilissimæ, & florentissimæ Regionis, quam Vagus inter-

tersecat, caput audit, & emporium. Nec immerito: Regia, quippe Civitas Vestrā, Conditorum suorum gloriæ, & laudis æmula, insigni adversus Principes fidelitate, in libertatem vindicata, furentium hostium conatus sæpenumerò elusit, infregit robur, exercitus numerosissimos dissipavit. Vos ego suburbani tumuli, atque agri, Vos, inquam, funesti tumuli appello, qui barbarorum sanguinem excepistis, qui cæforum cadavera contexistis,
qui

qui cineres etiamnum asser-
vatis: Vobis enim spectare
licuit, quoties fortissimi Ci-
ves victoriam cruento hosti-
e manu extorserint? quoties
subjectam camporum uber-
tatem vastaturum castris
exuerint? quoties, cum
muros machinis arietare,
coronâ cingere, funditus
evertere pararet; ad solven-
dam obsidionem impulerint?
in turpem fugam conje-
rint? internecione deleve-
rint? hic Tartarorum vires
attritæ, hic Cosacorum mo-
li-

limina, hic insanæ substru-
ctiones eversæ, hic Sarace-
norum copiæ fugatæ, ere-
pta spolia, signa intercepta,
captivi in libertatem af-
ferti.

Jam verò, de pacis, & ho-
nestatis artibus, quid dicam?
utrum sanctissimarum legum
frequentia, judiciorum æ-
quitas, severitas tribunalium
usqueadè bene mora-
tam Civitatem efformavit?
an verò Amplissimi Magi-
stratus spectata morum in-
tegritas, gravitas senatoria,

prudentiæ vis, & sapientiæ existimatio, fama, authoritas, ad mutuam officiorum culturam, ad vitæ honestatem, ad pacis vincula clarissimorum Civium animos inclinavit? meo
sanè judicio, ingenuarum artium cultioni, quibus potior Civitas liberaliter instituta creditur, ad unum omnia debentur.

Nam (ut cum Cicerone loquar) hinc ad Remp. plurima commoda vniunt, hoc unum ad omnes

mnes res , & privatas ,
& publicas maximè per-
tinet : hoc tuta , hoc ho-
nesta , hoc illustris , hoc
jucunda vita fit : hinc ad
ipsos , qui literas adepti
funt , laus , honos , digni-
tas confluit : hinc amicis
quóque eorum certissi-
mum , ac tutissimum præ-
sidiū comparatur .

*Quapropter voluntatem
meam æqui , bonique facite ,
quæ earundem disciplina-
rum fructum Nomi ni Ve-
stro inscribit , quarum co-*
B 2 *gni-*

gnitio apud eruditos amo-
rem, apud illiteratos reve-
rentiam, tranquillitatem do-
mi, foris gloriam, laudem,
æstimationem Vobis conci-
liat. Æternum autem hoc ob-
servantiæ erga Vos meæ, &
grati animi argumentum,
ea urbanitate admittite;
promovete benevolentia; hu-
manitate, clementia, comi-
tate procurate: quâ primos
pueritiæ meæ annos, & ru-
dia literarum initia prosecu-
ti estis: ita, neque Vos cu-
ræ, favorisque mibi præbi-
ti

DEDICATIO. 21

*ti pœnitabit; neque hæc
pietatis meæ adversùs Vos
officia, ullo unquam tempo-
re intercident.*

APPROBATIO ORDINIS.

Majorum imperio, ac etiam pro Muneris mei ratione præsentes Lucubrations Orátorias, Ladislai Damiani à S. Nicolao, Instituti nostri Presbyteri, variis in Gymnasiis (in quibus nuper Rhetoricen profitebatur) habitas, seduliùs evolvi. Quia verò à probatis moribus, veraque Religione haud discrepent; & quod alterum est: ex usu Adolescentū esse valeant, qui ad condiscendum priorem Sermonem Latinum animum adjecerunt; eas evulgari posse censeo. Quæ si manus Summorum non demum impleant, certè Minoribus incitamento fient; in Coæqualibus autem commendatam æmulationem accenderit. Dabam Prividiaæ in Domo nostra Probationis, Octavo Idus Decembris, Annō partæ Salutis Septuagesimodæ Quadragesimodæ Primodæ suprà Millesimum.

INNOCENTIUS à D. THOMA
AQUINATE è Clericis Schol.
P Cen'o Librorum Ordinarius,
& Domus Probationis Rect. ac
Consultor Provincialis.

LA-

LADISLAI DAMIANI
 à S. NICOLA O,
 Ad Juventutem Literariam,
Et cumprimis

Ad

Illustriss. Dom. Comitem, D. EMERI-
 CUM CSÁKY de Kereszt-szegh, Per-
 petuuu Terræ Scepusiensis.

Illustriss. Dom. Comitem D. CARO-
 LUM de LYMBURG Styrum.

Illustriss. Dom. Comitem, D. JOAN-
 NEM NYÁRY de Bedegh.

Illustriss. Dom. L. B. D. LADISLAUM
 LUSINSZKY.

Spectabil. D. JOANNEM NEP. MAJ-
 THÉNYI.

Spectabil. Dom. JOSEPHUM PON-
 GRÁCZ.

Spectabil. Dom. JOSEPHUM POD-
 HRACZKY.

Cæterósque Rev. Rel. Prænob.

Nob. ac Ingenuos Juvenes suos nuper
 in Arte Eloquentiæ Auditores

P R A E F A T I O.

Si veteris memoriae recordationem animo repetere, gravatè non fertis; ad eadem eloquentiae comparandæ capita mentem revocate: quæ, pro muneric mei ratione, & palam & privatim, à me proposita, avidè non semel exceperitis. Omnis autem, aut ferè omnis doctrinæ institutio buc præcipue pertinebat; ut inveteratam opinionem, à literariæ Juventutis cordibus mature excluderem: neminem in Oratorum numero esse posse; nisi cum Pericle fulminare, & tonare; nisi cum Tullio forum omne clamoribus

bus implere, consceleratos Urbe expellere, arma bacchantibus excutere didicisset. Incredibile verò cogitatu est: quot vultus induat, in quot formas transmutetur Eloquentia. Ut enim oculorum, atque oris elegantiam, venustate, deformatione homo homini dissimilissimus efficitur, & in tanta multitudine gentium, varietate populorum, virorum, mulierum, senum, juvenumque innumerabilitate, perquād pauci inveniuntur, quorum facies, & idea, mensuraque corporis plenè, & perfectè consentiat: ita etiam, una eademque eloquendi vis, tantum variari, permutari, & converti solet: ut miraculi loco habeatur, si duo tandem Oratores in argumen-

torum pondere , acuminibus , de-
lectu , distributione , si in animo-
rum impulsionibus , proprietate
verborum , munditia sermonis ,
structura ambituum , comprehen-
sionum ordine , collocatione , ac
præprimis in modo , & numero
conveniant . Tot , tamque di-
spariles latinæ linguæ effigies ,
ad triplex sermonis genus revo-
cavit , sublime nempe , mediocre ,
& humile , Author ad Heren-
nium : nullumque ab eloquentiæ
laude exclusit , qui unō ex his
dicendi modis , pro loci , tempo-
ris , personæ , ac rerum varietate
prudenter uti consuevisset .

Igitur , cùm ætate nostra ,
omnis judiciorum ratio immutata ,
ad Jurisconsultos transiverit ; at-
que

que adeò clamosa illa, forensis, litigiosa, & acris oratio, vix alibi, quād in Divorum fanis, rebus que ad religionem spectantibus locum habeat; æquabilis, constans, & moderata elocutio cæteris præstare videtur. Dicendi enim ratio (*M. Tullii verbis utar*) in medio posita, communi quodam in usu, atque in hominum more, & sermone versatur: ut in cæteris id maximè excellat, quod longissimè sit ab imperitorum intelligentia, sensuque disiectum: in dicendo autem vitium vel maximum est, à vulgari genere orationis, atque à consuetudine communis sensu abhorrere.

Quæ, cùm ita se habeant, quemadmodùm à me jam tum ex-

po-

posita, cùm politioribus literis daretis operam, quām creberrimè audīstis: per affectæ valetudinis remissionem otium nactus, ad emittendas lucubrationes meas animum adjeci, quas vestri profectūs gratiā, mediocri elocutionis figurā vestitas dixeram. Quamvis autem subcisisvis tantummodò horis ad scribendum accesserim, tantam tamen, quantam maximam potui diligentiam adhibui: Ut perpetua, ac ad communem, civilemque usum accommodata exurgeret dictione: ut plūs proprietatis verborum, quām elegantiæ præferret: ut potior latini, dilucidique sermonis, quām acuminum, quām argutiarum habita ratio appareret.

DE ASSUMPTIONE
BEATÆ VIRGINIS
MARIÆ,
ORATIO I.

Habita Prividiæ, in Æde
Sanctiss. Trinitatis,

XII. Kal. Sept. Ann. MDCCXL.

E P I S T O L A
AD ORATIONEM I.

Nisi me argumenti dignitas excitasset, & honoris Mariani promovendi cupiditas perduxisset; Orationem hanc abalienare, atque ex omni hominum memoria exterminare studuisse. Cùm enim quot diebus ferè videam, extemporalibus hujusmodi opusculis, plurimorum stomachum commoveri; vereri vehementissimè cœpi: ne pro laboris mercede, notâ quam inurar. Occurrebat enim dictionum Græcarum frequentia primùm, quas, in rebus ad sacram nostram Religionem pertinentibus, citra sensūs perturbationem, & citra audientium fastidi-

dium evitari posse, vix mibi persuadeo. Tum vulgaris, & nulli non cognita piorum sententia, animum ab incepto avocabat. Ipse ego illorum opinionem aliquando probare conatus sum, qui vix aliquid de Graii sermonis usu, Romanæ eloquentiæ admisceri sustinent; quique, ea omnia, quæ aut communi consensione recepta sunt; aut potioribus calculis reprobata habentur: in manus sumere detrentant. Virginem porrò Sanctissimam non aliter, quam revocatū in corpus animā, cœlestibus illatam sedibus quis non novit? plus tamen potuit adversus Mvgnam Matrem pietas, quam sexcentæ aliæ, quæ in adversum afferri possent rationes. Dabis itaque Amice

Le-

Lector veniam, & argumenti novitatem, pietate compensabis: vocum autem non sat̄is latinarum usum ultr̄o admittes: nisi Patres Sanctissimos, qui de hac ipfa quæstione non pauca scripsere; nisi universalem Ecclesie Romanæ, perpetuimque morem, à qua basce dictiones mutuati sumus; arroganter, & irreligiosè velis traducere: magno omnium ore, jure optiuo traducendus. Nam, in his cumprimis, quæ ad cultum Divinum referuntur; humanæ eloquentiæ, nonnihil derogari oportere, novimus; & ut Horatius in Arte loquitur: hanc veniam petimusque, damusque vicissim.

DE ASSUMPTIONE BEATÆ VIRGINIS

ORATIO I.

QUod unum, apud celebriora
Indigetum pulvinaria, mul-
tum, diuque precatus sum; ipsum
illud singulari DEI Opt. Max. be-
neficiō tandem assecutus, vobis
primūm, qui frequentissimi conve-
nistis, nobis deinceps, quibus de
hodierna Magnæ Matris nostræ so-
lenni die verba facere contigit,
ex animo congaudeo: rem de-
mum omnem quantacunque est,
in beneficiorum præcipuis, ad Al-
mam hanc Sodalitatem nostram,
de cœlo derivatis repono. Quan-
quam autem licentior oratio, &
paulò liberior agendi ratio vide-
ri

ri possit ; quâ, & pro libertate
oratoriæ facultatis , & pro bene-
volentia vestræ facilitate ordior :
attamen nihil minùs in animum
meum induxi , quâm , ut dignis-
simum hoc , juxtaque pulcherrim-
um inventum in contentionem
adducam . Ut , nempe , piam , &
religiosam omnium Sodalium in
laudes Matris Virginis quot die-
bus excurrendi consuetudinem :
cautissimam , tenerrimamque ad-
versus Reginam , & Dominam
nostram affectionem : ultra gla-
cialem oceanum , & Liberi Pa-
tris terminos traductas Sodalitatis
colonias : piissimos , amplissimos-
que in R. P. Mariana magistratus:
Sacram hanc Adolescentium ci-
vitate donandorum concionem :

sex-

sexcentaque alia in beneficiorum numero esse nolim; illis enim verò primas, illis alteras, illis tertias deberi pronuncio. Illud unum, si per vos impunè possum, unicè contendō: nihil quicquam aliud, ex animi mei sententia evenire potuisse, quō muneri meo, quō expectationi vestræ pleniùs satisfactum esset. Erigite animos Senatus, Populúsque Mariane! erigite animos, & paternas lunæ, solis, omniúmque syderum regiones prætergressi, *Templum* illud *Salomonis*, in quod *Arca Domini Sancti Spiritus obumbratio-*ne illata est: *Rubum* ardensem quidem, *incombustum* attamen: *Gedeonis Vellus*, quod cœlestis gratiæ imber, bene magna re-

spersione irrigavit: ad summam: cœli, terræque Reginam, quæ *adstitit* hodie à *dextris virtutis* DEI, vos maxima corporis, maxima animi submissione venere-
mini; ego verò, in id unum in-
cumbam, ut firmis rationum mo-
mentis stabiliam: jam olim, atque
adeò priùs, quàm universalis cor-
porum anastasis arrepat, Virgi-
nem Sanctissimam, non solùm
secundùm animam, sed verò se-
cundùm corpus etiam, in cœlum
assumptam fuisse.

Rem omnem Dionysius Areo-
pagita testis locupletissimus, qui-
que spectaculo præsens adfuit, in
hunc modum recenset. Postea-
quàm Virgo integerima cœlesti
nunciō didicerat, non quidem ad
abo-

abolendum hæreditariam, & quam
inde ab Adami prævaricatione
traxisset labem; (à qua immunis
fuit) verùm, ut ad Unigenæ sui
sanctimoniam propius accede-
ret, mortem sibi propediem im-
minere: pro materna sua pieta-
te, quâ recentem satam, jámque
toto terrarum orbe propagatam
Ecclesiam prosequebatur ; divi-
nos illos Verbi æterni Präco-
nes, primosque in Schola Ser-
vatoris Discipulos , qui diversas
mundi regiones doctrinæ suæ
lumine illustrabant , decedenti
sibi adesse, & mortis fortiter su-
bitæ testes fieri flagitavit. Non
solùm autem flagitavit: & quid
non impetret à Filio Mater? à
Rege cœli, & terræ , cœlitum ,

& hominum Regina? à JESU Maria? impetravit etiam. Adfuere ergo frequentes ex senatu Apostolico, & septuaginta Domini Discipulis, & nonnulli alii Viri Sanctissimi, quibus seipsum Dionysius noster adnumerat. In summa: sive spirituum meliorum ministerio, sive arcana Numinis virtute, puncto temporis Hierosolymam coacti quotquot supererant Apostoli, ad unum omnes (si Thomam demas) adfuere. Quod ipsum cœlesti S. C. factum esse arbitror: ut, qui de glorioso Domini ad vitam regressu ambigens, palpando cicatrices vulnerum, plagas infidelitatis nostræ curaverat, ille ipse Marianæ anastaseos cognoscendæ fieret occasio. Subinde

inde enim, in suavissimis Christi amplexibus, qui cœlō delapsus, infinitam beatarum mentium multitudinem devocaverat, citra doloris sensum, citra ægritudinis molestiam, citra mortis angustias, supremum exhalat Spiritum Mater illa nobilissima, quæ Spiritū Sancti operâ, Verbum Patris carne vestiverat: ac inter alios Apostolorum, Cœlitumque concentus postridie effertur; Thomas adhuc desideratur. Jam triduum abierat, jam quartus dies in vesperam inclinabat, & ecce tibi! Civitatem Sanctam ingressus Thomas, Collegas suos rerum cœlestium commentarye defixos, ac propter tumulum extasim passos offendit. Vix autem rem omnem

ex ordine acceperat, vixque ea omnia, quæ per absentiam suam acciderant, didicerat; multis madere lachrymis: plangere pugnis pectora: cunctationem suam accusare: corpus exanime, ex quo Vita nostra vitam traxerat, vindendum, suaviandum, venerandum infimis precibus contendere. Maecte animo Dive Thoma Apostole! Sacramentum grande orbi terrarum patefacies. Bene habet AA. desiderio potitur Thomas: recluditur tumulus: &, ô miraculum! Stragula vestis mundissima, cui sacrum pignus involutum hæserat, invenitur; & nihil præterea. Thomas fucum sibi fieri ratus, injuriarum agere Collegas, plurib[us]que expostulare. Cessit tan-

tandem, cùm suô, nostrôque bonô didicit: corpus quidem illud purissimum, ex quo altera DEI immortalis Persona mortalitatem nostram induerat, elatum; & pro more humatum fuisse: verùm ad similitudinem Filii sui, triduo post revixisse, ac gloriosissimè in cœlos abiisse.

Germana hæc relatio, si Epiphanio eidémque coævis Patribus longè Sanctissimis probata, & in numerum traditionum, inde ab Apostolis derivatarum relata esset: causa dicta haberetur. Quia vero Patres illi religiosissimi eâ erant adversus Marianum honorem devotione, ut ad unum omnia, quæ potiora, quæ sanctiora, quæ diviniora offerebant se se, de ma-

gna Matre sentire, docere, chartis committere, constitutum planè habuerint: elegerunt infectum, ac implicatum relinquere, Virginemque nostram absque fati necessitate immortalitate donatam, vivam in cœlos ascendisse, pro non explorato afferere; quām vixisse primum, ac tum demum revixisse profiteri cogerentur. Cūm enim communi Doctorum confessione probari animadverterent: *multa corpora Sanctorum, quæ dormierant*, redeunte ab inferis Domino ad vitam revocata, Viris piis in Civitate Sancta apparuisse; neque unquam mortem alteram (quis enim ad subeundam pœnarum acerbissimam, sanctissimas illas animas, ex tranquilla requie-

te,

te, ad vitam revocatas fuisse, si-
bi persuadeat?) oppetiisse; ve-
rūm mortalitate, corruptionēque
posita, inter cœlitum agmina avo-
lāsse: verebantur æquè parum de
Matre Domini pronunciare. Ego
verò Te, ô Mater Sanctissima!
noſtri, Unigenæque tui causâ mor-
tem quidem subivisse; ut hanc
mitiorem nobis redderes, ut Fi-
lio tuo quàm simillima habereris,
cui tolerata fati acerbitas, gloriæ,
& meritorum cumulum plurimùm
auxit: revixisse attamen, & cœ-
los, & supremos beatorum spiri-
tuum Ordines superāsse; gloriæ
Omnipotentis affistere, mordi-
cūs teneo, firmissimè mihi per-
suadeo, citra hæſitationem com-
muni, & non dubio Ecclesiæ,

ac

ac Doctorum sensu ductus, profiteor.

Quod si nostrūm aliqui, ut varia est ingeniorum propensio, in adversam abiēre sententiam; sacras illis paginas, Divinósque Bibliorum codices, quos pervolutent, commodemus. *Arborem vitæ*, pro medio *paradisi plantaverat* Deus, ut si datam fidem liberāssest Adam, neque usque eò turpè, usque eò fœdè, usque eò irreverenter pactum cum cœlo fœdus infregisset; peculiari Numinis concessu, quotquot terrestres delicias pertæsi, ad æternæ beatitudinis gloriam aspirâssent, hunc in finem de ligno vitæ ederent: ut à terrenæ molis fordibus, gravitate, tarditatéque corporum

ab-

absolverentur. Plantam autem hanc unam omnium speciosissimam, ut seris etiam nepotibus, de immortalitatis alimento provideretur ; nulli mutationi obnoxiam, imò corrupti nesciam oportebat esse. *Arca Testamenti*, cui tabulæ Legis Mosaicæ, cum portentosa illa, & divinante virga, mannáque de cœlo pluente inclusæ, ad posteritatis memoriam servabantur ; DEI ipsius imperio, ex *lignis setim*, seu ut LXX. vertunt, ex lignis corruptionis omnis expertibus fabricata fuisse legitur. Cedò verò quid his, sexcentisque aliis istis parallelis, aliud à Matre gratiarum figurabatur ? attendite cœli ! & obstupescite : audite inferi ! & contremiscite : accipe mor-

ta-

talitas! & exulta: tenerrima illa
virgula, quam Vates Jessæus di-
vino fructu, eoque ad miraculum
usque eleganti gravidandam præ-
viderat, in germanam, felicio-
rēmque *Vitæ arborem* adolevit:
cūm fructum vitæ æternæ Chri-
stum JESUM enixa Mater, & Vir-
go Maria, immortalitatem gene-
ri humano conciliavit; ipsa etiam
mutationis omnis expers, & pu-
tredinis. Arca igitur Domini Ma-
ria est; de qua Regius Vates lo-
quitur: *ingredere in requiem tuam*
tu, & arca Sanctificationis tuæ.
Arca Domini Maria est; quæ, non
legum Divinarum decadem, non
portentosum ramulum, non ali-
mentum ab altera aëris regione
depluens: sed vivum panem An-
ge-

gelorum, sed supremum Legislatorem, sed DEUM ipsum humanitate amictum, novem mensum spatiō castissimis uteri latebris abditum gestavit, in lucem edidit, Virgineo lacte aluit, altum pro salute perditi hominis sacravit. Arca Domini, illaque gratiā cœlesti plena Maria est; hanc, si quis vermibus in prædam cessisse suspicatur, vix dignus haberi potest, qui in numerum Fidelium veniat; taceo, ut in R. P. Marianna, civitate donetur.

Indignus es, ô audax! ô temerarie homuncio! qui te Filium, qui Mariam Matrem nuncupes, indignus es: nisi probiora, nisi sanctiora de Primigenio Mariæ Filio sentire, docere, confiteri in ani-

animum, in consuetudinem deduxeris. Cùm enim naturâ itâ comparatum sit, ut perditissimi etiam Filii, ea in Genitores optimos propensione ferantur; cuius ductu, & auspiciis, quoties per rei familiaris angustias licuerit, eorum cadavera, à quibus usuram vitæ olim traxerant, seu mellis respersione, seu condimentorum, quorum Arabia dives est, seu herbarum arcana virtute, seu alia quapiam ab his ratione, integra, & incorrupta custodire adnituntur: impius sit, ne dicam, scele ratus, qui minùs his, tenerrimo Servatoris amori tribuat, quô ille Matrem sibi in paucis charif simam, jam usque à puero complexus est: impius sit, qui omni po-

potenti, divinæque JESU Christi virtuti deroget; cùm ille nullo negotio, & corpus exanime servare integrum, & ad vitam potuerit revocare.

Nequa porrò in pejus declinandi occasio subrepat, detürque sermonibus locus: corpus quidem illud purissimum, ex quo æternus, Patris æterni Filius carnem in tempore assumpserat, nunquam omnino putruisse; sed verò exanime, sensusque omnis expers ad magnum illum, decretumque diem reservari, quo universalem omnium hominum anastasim expectamus: adesdum, quotus quisque ità judicas! non jam eminùs, at cominùs congregiamur. Piissimus libertatis nostræ Restitutor,

D idém-

idémque æquissimus scelerum Vindex, ac officiosissimus probioris vitæ Æstimator, ut Viris illis Divinissimis, quibuscum familiarissimè olim utebatur, quique meruerunt testes Resurrectionis ejus fieri *in omni Iudæa, & Samaria, & usque ad extreum terræ*; ut, inquam, Discipulis, Apostolisque suis, pro exantlatis tot laboribus, gratam vicem redderet, sacras eorundem Reliquias non solum solùm sollicitè tutatus est, ne fortassè eorum memoria iutercideret, procuravit: verùm etiam ex omni Christiano orbe infinitam peregrinorum frequentiam quot diebus advocavit: ut debitus sacris cineribus honos redderetur. Imò vero orbis terrarum Dominos, quā

Re-

Regiâ , quâ Imperatoria Majesta-
te auëtos, ad sepulchra Piscatorum
purpuram, sceptrum , diadema po-
nere , dignitatem exuere , in ge-
nua procumbere, supplicationes in
adultam noctem protrahere con-
sueisse memoriae proditum acce-
pimus. Durus proinde , & asper,
& improbus uno omnium ore cir-
cumferatur, qui de pietate tua, ô Je-
su amabilissime ! quâ Genitricem
tuam gratiis omnibus instruëtissi-
mam prosequebaris olim, & in di-
es magis, ac magis prosequeris: mi-
nùs civiliter pronunciet. Quî enim
fieri potest, ut honorem, ut venera-
tionem, ut religionem , quam Ser-
vorum, quam Discipulorum tuorum
corporibus haberi voluisti; Matri
tuæ tibi cum primis charissimæ non

decernas? ut sacras illius exuvias
occuli, & citra honorem, citra
venerationem jacere patiaris? si
námque Apostolicis meritis tam
excellens honoris amplitudo de-
betur, quæ in corpus etiam ex-
animum, inque ipsos cineres, ac
ossa arida redundet: quis id ipsum
Marianis meritis denegabit? Ma-
ter illa Domini; hi Discipuli: Nu-
trix illa; hi Alumni: illa Regina;
hi famuli: illa Domina; hi servuli:
illa Maria; hi Apostoli: & tamen
in honore, in æstimatione Disci-
puli, Alumni, famuli: sinè hono-
re Mater, & Nutrix Domini; Re-
gina cœli, & terræ; rerum crea-
tarum Domina Maria? ô auda-
ciam! ô temeritatem!

Sed

Sed & tu infelior es plerisque omnibus malè nuptis, ô Sponsa mœstissima! ô infelix Mater Ecclesia! si Sponsus cœlestis, servorum quidem suorum cineres, in refugium, & in solatium tibi credidit asservandos: Reginæ autem cœlitum exuvias longè sanctissimas, in latebras abdidit, pietati tuæ subduxit. Næ ille pluſculum sapiat, qui hæc in animum suum admiserit.

Vos autem Sodales, Filiique Mariani, quibus in numerum Cultorum, qui sub titulo Magnæ Hungarorum Dominæ in cœlos assumptæ congregati sunt, venire contigit; aut quibus dies illa omnium felicissima illuxit, quâ in Sodalitatem hanc cooptemini: tota men-

tis , tota animi contentione in
hoc primùm incumbite, ut optimæ
quæque de Mariano nomine
professi , eam ipsam , & secun-
dūm corpus , & secundūm ani-
mam cœlo illatam existimetis, do-
ceatis , tueamini ; tum verò , si
quid humani passi , in adversam
partem declinabatis , humili sup-
plicatione , summâ corporis , sum-
mâ animi religione veniam à Ma-
tre gratiarum flagitatote. Re-
miniscere ô piissima ! ô suavissima !
ô amabilissima Mater DEI , & Ma-
ter nostræ spei Maria ! reminisce-
re fragilitatis , reminiscere imbe-
cillitatis humanæ : neque patiaris
ignorationes nostras ante oculos
tuos diutius obversari ; sed verò
illos tuos obtutus clementissimos
ad

ad nos reflecte: qui ad unum omnes, dum vita faverit, te unà cum corpore, unà cum anima in cœlum assumptam laudare, venerari, testificari non desinemus.



DE LAUDIBUS
LADISLAI
MATTHYASOVSZKY,

EPISCOPI NITRIENSIS,

In Anniversariis ejus Parentalibus,

ORATIO II.

Habita Nitriæ

IV.Id. Maji An. MDCCXXXVIII.

EPISTOLA AD ORATIONEM II.

UT importunis hominum que-
stibus occurram, ut quotidia-
nis lamentationibus, & conceptis
ex brevitate vivendi doloribus mo-
dum imponam; laudes has Anti-
stitis piissimi, & Musarum Ni-
triensium Statoris, ac Vindicis
clarissimi, publici juris esse volui.
Cùm enim quotidianis istis queri-
moniis, Providentiam Divinam
traduci animadverterem: quasi mi-
nus æqua dispensatione, hominum,
brutarumque animalium vitam
produceret; in animum meum in-
duxì, viam illis expeditam magis,
magisque planam commonstrare,
quā ad immortalitatem nominis

per-

pertingere *commodius* possent.
Nam, qui tenuioris fortunæ sunt,
& Minervæ crassioris; neque na-
turæ ordinem sat̄is assequuntur,
neque habent, quā pecudibus in-
videant. Qui autem ad angustias
rei familiaris, nobile attulerunt
ingenium; sudata Artium inge-
nuarum culturā æternam sibi fa-
mam, & jugem apud posteros me-
moriam comparare discent. Illi de-
mum, qui amplissimas adiverunt
hæreditates, quique nobili domo,
ac celebri loco nati lautum, & co-
piosum patrimonium acceperunt;
modò liberalitatem Antistitis no-
stri œmulentur; modò de literis
æquè benè mereri conentur: nullò
negotiō, vitam assequuntur immor-
talem, eorumque famæ celebritas,
ad

ad omnium ætatum memoriam
dimanabit. Quare nullus invidiæ,
nullus lamentis locus esse potest,
licet nonnullæ animantes quina,
denâve durent sæcula: cùm sa-
pientissimo Senecæ, vitæ humanæ
diuturnitas, satis longa esse videa-
tur; ad emendam nominis æter-
nitatem. Exemplo sit Præsul Il-
lustriſſimus, qui in nobilissima
Trenchiniensium regione, à me-
diocris fortunæ Parentibus, Eque-
ſtris nempe ordinis ſusceptus, ibi-
démque primis literarum rudimen-
tis imbutus, tanto ardore libera-
les quasvis disciplinas complexus
eft, ut ob insignem eruditionis opi-
nionem, quam morum integritati,
per omnem vitam arctissimè conjun-
xit, Nitriensium Antistes creari
me-

meruerit : ut Scholas Pias in
Principem ditionis suæ civitatem
induxerit. Quibus rebus id con-
secutus est : ut Majorum suorum
gloriam illustraverit : ut nominis
sui memoriam reliquerit immor-
talem.

DE LAUDIBUS
L A D I S L A I
M A T T H Y A S O V S Z K Y

In anniversariis ejus parentalibus

O R A T I O II.

Quoties superiorum temporum calamitatem longè luctuosissimam memoriâ repeto; atque optimarum artium disciplinas, quarum dignitas, per summum acerbæ sortis ludibrium funditus eversa jacuerat, velut ab inferis ad vitam revocatas, insanisque Ladislai Antistitis clarissimi sumptibus, in hac vetustissima civitate restitutas, paulò studiosius reminiscor; toties arcanâ quadam, Divinâque virtute, eò potissimum impellor: ut conatum sanctissimum,

mum, Viri, optimè de re literaria meriti, quantum per virium imbecillitatem licet, studeam promovere. Quam ipsam contentionem meam cæterùm laboriosissimam, vix quicquam perinde juverit, atque annua hujus diei memoria, qua olim Musarum nostratum Statori parentatum est. Dum quippe lugubrem sacrarum ædium supellestilem, funebres ad aras facientium ceremonias, tristes, & intercluso vocis meatu, ad luctum comparatas sacrorum publicorum Symphonias mecum ipse reproto: dum mœstissimam civitatis hujus faciem, quam ex jaetura tanti Pontificis induerat, in mentem revoco: dum omnis sexus, ætatis, & ordinis lachrymas ad

ad acerbum Patris Patriæ fūnus
largissimè manantes intueor: ca-
lamitosa illa miseræ tempestatis
recordatio, importunè sese inge-
rit, quâ profligatis, aut interne-
cione deletis optimarum artium
Præceptoribus, ipsæ etiam libe-
rales disciplinæ, ex hac Urbe
exulare jussæ, ab Antistitis nostri
liberalitate auxilium expectabant.
Favissent utinam! optimi cujusque
votis immortales Superi, favissent:
ut cùm eum ipsum, quem aliquot
ab hinc annos, magno Civium
juxtâ, Optimatûmque luctu elat-
tum anniversaria dictione laudan-
dum suscepimus, etiamnum su-
perstitem venerari possemus: tum
verò, pro eruditiore Latio opem,
operámque naviter conferentem

nostris ipsi oculis usurparemus; foret profectò: ut ad veterem Platonis, Pythagoræ, Democriti diligentiam propriùs accedere studeamus. Quia verò, eò recidit humanæ vitæ conditio, eaque factorum vicissitudo invaluit; ut nemini usquam, post natos homines, in lucem venire contigerit, quem amara decependi necessitas non occupâisset; dabo operam: ut quem vivum coràm intueri nemo potest, virtutum, ac literarum culturâ immortalem inspicere, & propriùs cognoscere possit. Rem omnem Juvenes lectissimi quàm felicissimè assequemini, cùm injurias illius temporis, quo humaniores scientiæ avitis his arcibus redditæ sunt; cùm rei geltæ se-

E riem

riem in memoriam revoca-
vero.

Quod olim acutissimô homi-
nes ingeniô , ad informandam po-
steritatem , in publicas gentium
tabulas retulerunt : ingenuis scili-
cet græcarum artium facultatibus,
unâ cum captiva Græcia Romam
traductis , iisdémque summa ci-
vium æmulatione , ad fastigium
illud properantibus , in quod Cæ-
sar is , ac M. Tullii ætate fuerant
elevatæ ; Romanæ gentis gloriam
paribus incrementis assurrexisse ;
at illis , non multò post in pejus
declinantibus , etiam defluere , at-
que convelli visam esse : idem fe-
rè de superiorum temporum feli-
citate , & calamitatibus , ac alter-
utro Regni nostri statu dici posse ,

cu-

curiosius observatum est. Nam communi Patrum & Græcorum, & Latinorum opinione, frequentibus sacrorum Comitiorum orientis æquè, atque occidentis decretis, diuturniore denique experientia pro explorato habetur: quemadmodum nihil humanis, nihil divinis legibus, sartis tectis servandis magis conductit, quam creberima artium illarum domicilia, quibus ab humanitate nomen accessit, quibusque ingenui adolescentes ad omnem morum integritatem, ad omnem vitæ innocentiam informantur: sic ex adverso, quoties Divina hæc præsidia intercidere contigerit, sacra omnia, & profana sus déque volvi, ac revolvi.

Quotus ergo quisque fuerit,
cui uni Divinissimi homines, at-
que ad abstergendas lugentis Pa-
triæ lachrymas , ab ipsa natura
formati , minùs de R. P. meriti
videbuntur, quàm Cato ille Pon-
ticus , aut sapientissimus belli
adversus Hannibalem , tanta o-
mnium trepidatione suscepti Im-
perator, qui desperatas, ac in ex-
tremum discrimen conjectas Ro-
manorum res cunctando fertur
restituisse? Literarum autem lumi-
na, Viros appello eruditissimos, at-
que ad ipsam virtutem factos, qui
facultatibus , & dignitate aucti,
quas veteri statione deturbatas,
& vastatæ Patriæ ruderibus obru-
tas repererant, libero homine di-
gnas optimarum artium discipli-
nas:

nas: illis magnifico sumptu, contentionéque incredibili, nihil tumultuantis Provinciæ motus, nihil apertam grassantium vim veriti, æternas arces à fundamentis excitârunt. In quorum numero, si Antistitem nostrum primos ducere ordines palam dixero; nemo fuerit, qui revocatis in memoriam ærumnis gravissimis, quæ nobilem hanc literarum coloniam proximè antecesserant, vel certè subsecutæ sunt, citra injuriam succensere audeat. Sub idem quippe tempus civitas hæc vetustissima, quæ ætate nostra, gemino colli insidens, circumfusam camporum amcenitatem, & assurgentium montium jucunditatem, varietatemque contemplatur, in

subiectam vallem omnis confugerat: sive ut frequentes finitimus Turcarum impetus commodius excipere; sive ut felicius declinare posset. Adhæc, incensi agri, solo æquatæ villæ, coloni in miserrimam servitutem abducti, mœstissima denique regionis facies, & vastitas crudam Barbarorum tyrannidem satis aperte loquebatur. Obrigescitis ad hæc, & totis artibus contremiscitis? acerbiora accipite. Quid quid Saracenorum rabies reliquum fecerat, illud omne domestico furore concidit; illud omne in ipsa Patriæ viscera sœvientibus armis crudelissimè absumptum est; illud omne belli intestini atrocissimô involutum incendiô evanuit,

occidit, disperiit. Nam posthabita omni necessitudine, cognatione, religione, mancipia in Dominos, perditissimicives in optimos Magistratus, nati ex sorore nepotes in Avunculos, ipsi liberi in optimos, à quibus vitam hauserant Genitores, per facinus sacrilegum, arma circumferre, impunéque senvire: cives civibus, liberi liberis, sine discrimine, sine modo, sine sceleris conscientia, fortunas, lares, conjuges, vitam denique ipsam eripere pro gloria, pro militari laude, pro animi fortitudine æstimabant.

Vereri jam incipio, ne longa temporis funestissimi recordatio tedium faceat, & nauseam: alteram propositi partem exequa-

mūr. Animadverterat, & incre-
dibili animi mcerore perspexerat
Præful ille, omnium artium co-
gnitione instructissimus, apud vul-
gus infimum, & apud fortunæ te-
nuioris cives, eleganti adolescen-
tes ingenio magnô numerô suc-
crescere ; vix verò ad aliquam
DEI T. O. M. notitiam pertinge-
re ; vix prima salutem æternam
assequendi fundamenta, neglectæ,
& incultæ intellectionis ope asse-
qui : quibus tamen, si arcanis li-
terarum præceptionibus imbui
contigisset ; literario orbi digni-
tas amplissima, & R. P. utilitas
summa accessisset. Animadver-
terat vetustissimas Patritii, & Se-
natorii ordinis domos, ex diu-
turnis bellorum tumultibus, tan-
ta

ta cum egestate conflectari: ut magnam partem accisis, aut prorsus absumptis facultatibus, lectissimos magnorum Patrum Filios, qui indole docili, qui peracutô ingeniô, labefactum familiæ decus, in integrum restituturi sperabantur, à medio studiorum cursu avocare, rei familiari curandæ admoveare, custodiæ pecudum præficere, ad stivas, ad aratra damnare cogantur. Animadverterat tantopere imminutum sacris initiatorum numerum: ut postea quâm compluribus pagis, & oppidis unicum præfecisset Ministrum; quos cæteris vastissimæ Provinciæ suæ (Dicecesim vocant) præponeret, vix invenerit. Quid in luctuosa hac vastitate consilii

cœpit Antistes clarissimus ? an desperatis prope rebus animo concidit ? minimè gentium. Singulis singula admovit remedia. In hac enim ipsa civitate , in qua, pro munericis sui ratione domicilium fixerat , bonis artibus & rudi ignorantiae diem dixit: cùmque istam , Arbiter æquissimus causâ cecidisse videret ; illas manu , & consilio promoturus, Musas, quas, à jurata pietate , Pias dicimus, in subsidium advocavit. O Virum Consularem ! ô hominem publico literarum , & Patriæ bono , à Diis immortalibus donatum , ! huic huic , si ad fabularum sensum, suam faxa vocem reciperent ; parietes isti , laquearia ista , moles denique structuræ hujus universa,
te-

testimonium uno ore redderet: quòd ad propagandam Numinis gloriam, ad provehendam animalium salutem, ad extirandas, quæ circa Religionis capita invulnerant, insanas fanaticorum hominum opiniones, nihil melius, nihil salutarius cogitare potuerit: quam cùm hanc scholarum fabricam à fundamentis excitavit; in qua plebei unà, & fortunæ pinguioris adolescentuli, in qua ci-vium juxtâ, ac Optimatum Filii, communibus literis, & ad pieta-tem, & ad humanitatem, à pri-ma adolescentia informantur.

Sed quid ego literario profe-stui tantopere immoror? quorū primus fructus Gymnasii hu-jus, munificentiam liberalissimi
Præ-

Præfulis inclinaverit, videamus.
Memoriâ, quod opinor, tenetis
amplissimarum ædium speciem,
quæ celebri huic Musarum domi-
cilio adjecta, locum in coronam
sepit? vix humaniorum discipli-
narum institutioni supremam ad-
movit manum; ad hanc molem
animum adjecit. Quem in finem?
Nobilium Adolescentium frequen-
tiâ domum omnem complevit.
Quorsum verò hæc? ut deinceps
in vitæ communionem admitte-
rentur illi potissimum, qui aut
ejuratis fidei erroribus, ad socie-
tatem Romanæ Ecclesiæ redière;
aut à Genitoribus, cognitionem
veræ, ac Sanctissimæ Religionis
nostræ recentem assecutis suscep-
tunt. Igitur in ædibus his, fru-
gali,

gali, honesta tamen, ac decenti
cibi, & potūs dimensione, benē
multi quotidie reficiuntur; tecto,
cibili, matutinis, vespertinīsque
lectiuncnis excipiuntur. Statis
temporibus fundendis vacant pre-
cibus, quibus Divinum Nmnen
vel ad beneficia nova inclinent,
vel piorum hominum manibus
reddant propitium. Literarum
studiis pro modulo quisque suo itā
incumbit; ut salutarem animi, &
corporis relaxationem, ad certum
horarum numerum contractam
admittat. Quo fit: ut lubricum
adolescentiæ iter feliciter, & citra
offensionis periculum singuli de-
currant: melioribus nempe literis,
& moribus honestioribus, quique,
à nobilitate non abhorreant,
quām

quām diligentissimē instituti. Ponite tandem familiarem vobis, injuriosam Patriæ, & Liberis consuetudinem, feliciori fortuna digni miseri, & inopes Genitores! non ad bestias, non ad infames fabrorum officinas, Nobiles damnate animas: verūm memor res munificentia Antistitis nostri, Filios vestros literarum studiis addicite, avitum gentilitati decus, ornamentum, & præsidium Patriæ, bonis omnibus solatium reddituri.

Hæc mihi ferè in mentem veniebant Nobilium subsidia; reliquum est: ut qua ratione publicos altaribus Ministros restituerit, exequamur. Quicquid ferè, à geminis illis literarum, & literis

va-

vacantium fabricis, æris supere-
rat, subductis calculis, excitan-
do Divi Ladislai Seminario de-
vovit: ut inde subsidiarias copias
educeret, atróxque, & æternum
stygi, ac impietati bellum infer-
ret. Assequimini, nihil ambigo,
de capitalibus salutis nostræ ho-
stibus, relatas victorias longè ce-
leberrimas; quas lectissimi pugi-
les, à pueris in sortem Domini
vocati, armis militiæ sacræ instru-
eti, literis melioribus, & pietate
ardentissima, ad sustinendos ini-
micorum impetus maturè præmu-
niti, ad omnem demum religio-
sæ militiæ disciplinam ab ineunte
ætate instituti sæpè numero retu-
lerunt? Antistiti nostro secundùm
Divinum Numen debentur uni-

ver-

versæ. Quàm plurimas ædes sa-
cras, quas sacrilega impiorum bar-
baries, calamitosis Regni tempo-
ribus, & in discrimen summum
conjectis Patriæ rebus, ex Fide-
lium manibus eripuerat extorse-
rat; Romanæ Religioni redditas
accepistis? Alumni nostri Pontifi-
cis reddiderunt. Abolitas pere-
grinæ, & non ità pridem enatæ
professionis ceremonias, Sacrifi-
cia, Conventicula, reliquásque id
genus, nuper ex male fano pro-
fanorum hominum cerebro ena-
tas pestes jam abrogatas, famâ
publicâ didicistis? Alumni Anti-
stitis nostri aboleverunt, abrogâ-
runt. Infinitam hominum multi-
tudinem, qui materno cum lacte,
pestiferæ hæreseos virus haue-
rant,

rant, damnata Patrum impietate,
ad communionem veræ fidei re-
diisse creberrimè audistis? Alu-
mnorum Antistitis nostri operâ
redierunt.

O Præsulem, de literis, de
R. P. Christiana, de DEI immor-
talis aris optimè meritum! dum
Scholæ Piæ, dum Nobilis ado-
lescentiæ ædes, dum venustissima
Seminarii tecta, dum artes libe-
rales in celebri hac civitate erunt;
immortali fama, in hominum me-
moria vivet Ladislaus Nitriensium
Antistes clarissimus, literarum Vin-
dex acerrimus, Pupillorum Pater
liberalissimus. Vivet, vivet non
solum ob invictam animi constan-
tiam, ad calamitosi temporis acer-
bitatem superandam comparati:

F

non

non solum ob præclaram æquitatis opinionem , quam sibi comparavit longè maximam , dum gravissimam Antistitis personam tot annos religiosissimè sustinuit: non solum ob redditam speciem elegantissimam Fano pervetus, quod summæ arci impositum , & hostilibus flammis absumptum, omnibusque cœli injuriis expositum, vitium fecerat : sed verò, hoc potissimum nomine æternum vivet: quòd civitatem istam, meliorum artium coloniâ ad invidiam usque instruxerit; quòd stabiles, quòd æternas literis , bonis moribus , pietati arcēs excitaverit.

Ecce vobis lectissimi literarum Alumni , studiorum vestrorum Statorem! ecce gratiosissimum lite-

literaturæ , & omnis eruditionis
Vindicem ! Parentem ! Patronum !
huic uni plurimis obstricti nomi-
nibus, immortales primùm habe-
te gratias , cui in acceptis referre
debebitis , quidquid gloriæ , quid-
quid laudis , quidquid dignitatis hu-
maniorum disciplinarum ductu , &
auspiciis per omnem vitam obtine-
bitis : tum verò Patris patriæ Mani-
bus piissimis quot diebus quidem ,
in anniversariis tamen parentali-
bus istis , ardenter pietate bene
precari contendite . Ad extremum ,
eo conatu , diligentia , alacritate
optimorum studiorum exercitatio-
nibus inhærete : ut literarum amo-
rem , quō sapientissimus Antistes
flagravit , exæquâsse : ut conce-
ptam apud universos Regni Ordi-

nes, de Gymnasii hujus excellen-
tia, eruditione, utilitate, pietate,
opinionem sustinuisse: ut expecta-
tionem nostram, ut cognatorum
spem, ut Parentum desideria ex-
cessisse, & vindicâsse cense-
amini.



DE VISITATIONE
BEATÆ VIRGINIS
M A R I Æ,
ORATIO III.

Habita Nitriæ,

VI. Non. Jul. A. MDCCXXXVIII.

E P I S T O L A
AD ORATIONEM III.

Cum omnibus ferè notum sit, & pro explorato habeatur: varias juventutis literariæ sodalitates, bene magno numero, ubique gentium erectas quidem esse; verum in natura, obligatione, & ritibus plerumque convenire, atque una titulorum varietate discerni: advertendum etiam venit, anniversarias illarum, festasque dies solemnis dictione commendari solere. Et quia idem argumenti genus quotannis pertractandum venit, ad evitandam similitudinem, quæ satietatis, & fastidii Mater dicitur, aliqua novitatis specie est conveстиendum. Quapropter nemini

mini admirationem , nemini indignationem movere debet insperata ista dicendi ratio , nemini ad ostentationem comparata videri . Ad hæc : in oratione ista , Adolescentes pii , quique probioris vitæ incrementum desiderant , invenire plurima possunt , quæ ad usum , utilitatem , & profectum suum assumant . Cùm enim optimis artibus vacare ideo potissimum elegendint , ut pietatem tum in se , tum in aliis promovere possint , atque in Mariano cultu magis , ac magis proficere : si veras has , & sinceras Mariani Sodalis notas legerint , ad cœmulationem accendentur . Ex adverso autem , quibus licentiosa vita , & inanis gloriæ ambitus , aut ambitione pernicio-

sior cupiditas in honores, in dignitates irrependi facem prætulit, dum se se ad liberalium disciplinarum studia conferrent, dumque in numerum Sodalium venire gestarent: posteaquam his indiciis, quibus verus Sodalis Marianus deprehendi potest, se se destitutos animadverterint; nisi pudorem omnem prius exuerint, in ruborem, & in confusionem adducentur. Et hæc potissimum in causa fuere, quod materiam istam reliquis prætulerim; & Divum Joannem Baptistam, inter Sodales Marianos primò loco esse, probandum susceperim. Et quanquam nullum, ex momentis his, in mentem venire contigisset; solennis tamen dies, quo novelli Sodales, in-

interposita Sacramenti Religione, sese cultui Matris Sanctissimæ palam devoturi erant, satè potuisset, ad explanandum præcipuas Sodalis Mariani partes. Quapropter, ne quem fortassè pudore afficerem: quasi ad præsens usque tempus, minus naviter pietatis operibus studuisse; morem oratoribus perquam familiarem sequi placuit: qui, dum maximè dicunt ea, quæ dicenda omnino sunt; aliud tamen ab his agere se velle simulant.

DE VISITATIONE
BEATÆ VIRGINIS
ORATIO III.

Mirari plerique solent, quid
causæ sit: quòd arcano San-
cti Spiritùs ductu, & auspiciis in
lucem editus, facer ille Evange-
liorum, hoc est: boni, ac felicis
nuncii liber, qui Divi Lucæ no-
mine circumfertur, tanta solicitu-
dine, hodiernam Magnæ Matris
nostræ peregrinationem scripse-
rit; ut eam, non qualicunque itu,
verùm cum festinatione in mon-
tana abiisse commemoret, Illu-
strissime, ac Reverendissime Do-
mine Rector, Senatus, Populús-
que Mariane! Neque enim nega-
re possumus, iterum, ac tertio sū-
fce-

sceptum, bonisque (quod ajunt) avibus confectum iter Marianum; si tamen unum istud eximam, nusquam alterum reperio, cui celeritate tanta se se commisisset. Ambitiosam Herodis tyrannidem declinare jussa, ut suæ, ut Unigenæ sui incolumenti consuleret; in Ægyptum secessisse quidem, sed verò cum festinatione abiisse, à nullo, quod sciam, Historicorum memoratur. Felici errore Dilectum suum, vitam suam, pupilam oculorum suorum amiserat; illum attamen citra festinationem, inter notos, & in Comitatu eo usque perquirebat, quoadusque in medio Doctorum disputantem non reperit. Sæpen numero sanctam petivisse Civitatem, Galilæam

læam adivisse, Palestinam obambulâsse, à sacris, profanísque Scriptoribus traditum accepimus: nihilominus, cedò locum aliquem, ad quem Maria cum festinatione contendisset? ergo hæc una temporis portio in fatis fuerat, quâ, *exurgens Maria abiit in montanam cum festinatione?* Sacramentum grande agitur AA. Sacramentum, inquam, cuius magnitudine perculsus referrem pedem, infectôque negotiô recederem, nisi me præsentia tanti Præfulis recrearet, nisi frequentia vestra Sodales Mariani excitaret. Exploratum enim habeo, ea Vos propensione esse, ea devotione ferri in Mariam, ut quamvis nihil à dulcissimo Mariæ Nomine aliud, pro rostris, & pul-

pulpitis resonaret; ad unam tan-
ti Nominis memoriam incredibi-
li gestiretis gaudio. Ut itaque
pietati vestræ morem geram,
quanta vocis contentionе maxi-
ma licuerit, stabilire pergam: ma-
gnam gratiarum Matrem pro suis,
sibique sanguinis communione
junctorum commodis, lento pas-
su progredi solitam; luce hac sa-
cerrima, ut ad utilitatem vestrarum,
suam erigeret Sodalitatem, in æ-
des Cognatæ Elisabeth cum festi-
natione abiisse. Hoc porrò nun-
quam facilius assequar, quām,
cūm palam probavero: hac ipsa
die nondum in lucem editum,
jam Sodalitati Marianæ, primum
omnium dedisse nomen Divum
Joannem Baptistam. Qua sole-
tis

tis pietate , & patientiâ au-
dite.

Quod ne cui insolens , atque
ad ostentationem effictum videa-
tur; age , principes Sodalis Ma-
riani notas , quibus à communî
plebe secernimur , in Joanne no-
stro distinguamus . Ego quidem ,
qui singulari Magnæ Matris cultui
ab adolescentulo assuevi , veros
gratiarum Matris ad Elisabeth in-
visentis Sodales , hoc primùm in-
dicio deprehendi posse observa-
vi : si sub idem tempus , quô Ma-
riæ sacri esse incipiunt , ob ade-
ptam plenam noxarum admissa-
rum (ut dicimus) indulgentiam
magnâ incedant lætitiâ : & quo-
tidie magis , ac magis appareat ,
eos sub tutela , sub defensione

DEI

DEI Genitricis esse. Tametsi
verò gentes ultimæ, ad quas sa-
lutaris doctrinæ lumen pertigit,
& omnis fidelium communio, Vir-
ginem Sanctissimam in amoribus
habeat, ac peculiari prosequatur
religione; ingens tamen illos in-
ter, & Sodales Marianos discri-
men intercedit. Idem quippe il-
lis accidit, quod in primo conju-
gio susceptis liberis toties ferè
usuvenire videmus, quoties vidui
eorum Patres, ad alteras nuptias
transiere. Quantumvis enim pia,
devota, misericors sit conjux al-
tera, ipso tamen naturæ ductu,
majori certè propensione in suos
fertur filios; quàm in pupillos il-
los duci possit. Cedò autem,
cui uspiam post natos homines
con-

contigit, tot tantisque beneficis , à Matre misericordiarum cumulari , quot, & quanta in unum Joannem congesta fuisse dicimus? quis ipso devotionis sui die , aut melius delictum omne, pœnámque peccati abolevit: aut majori gestiit exultatione ? vix etenim missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam Viro ; vix Verbum Patris inclinavit cælos , & sacramento ab omni hominum memoria inaudito , in castissimo Virginis utero carnem induit: jam exurgens Maria abiit cum festinatione in montana. Suspende! suspende proficisciendi consilium ô Maria ! salubrius cœlum , magis idoneam præstolare tempestatem ! verum enim

enimverò moræ impatiens, & alienæ salutis percupida, quām celerrimè *exurgens abiit cum festinatione in montana.* Abiit: ut priusquām nascatur mundo, renatus Deo, mundetur Joannes: ut priusquām diurnum lumen aspiciat, à sole justitiæ illuminetur Joannes. Abiit: ut nativæ labis pœnam, quam ab Adamo traxerat, primus ad Elisabeth invisentis Mariæ cliens exuat. Neque frustrata est spe sua, spes omnium mortalium Maria; verūm ut Divus loquitur Ambrosius: *Vocem prior Elisabeth audivit, sed Joannes prior gratiam sensit.* Ità enim Elisabeth ad Mariam: *ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gau-*

G dio

dio infans, in utero meo. Ergo-
ne infans materno conclusus ute-
ro, Matri gratiarum applaudit?
ô prodigium! ô portentum! quid
vobis videtur AA. cessavit hic
Mariana pietas, & adversus cli-
entem propensio? nihil minus.
Imò in dies, in horas, in mo-
menta singula incrementum fecit:
mansit quippe *Maria cum illa*, id
est: cum Elisabeth, *mensibus, tri-
bus.* Commoratio autem hæc,
quid utilitatis Divo Joanni attu-
lerit, Ambrosium audiamus: *non
enim sola familiaritatis est causa,
quod diu mansit, sed etiam tanti
Vatis profectus.* Nam si primo
ingressu tantus profectus extitit,
*ut ad Salutationem Mariæ exul-
taret infans in utero, repleretur*

Spi-

*Spiritu Sancto Mater infantis:
quantum putamus usu tanti tem-
poris, Sanctæ Mariæ addidisse
præsentiam? Ecce vobis primam
Sodalis Mariani notam! ecce
Joannem, ex gratiæ ubertate
exultantem, & in amoribus Ma-
rianis progressus facientem! si-
quidem illum communi morta-
lium auræ redditum, prima suis
excepit brachiis Maria, prima un-
dis abluit, prima fasciis involvit,
prima Sodalium suorum Ducem
jussit, & Antesignanum.*

Alteram, Sodales Marianos
agnoscendi rationem ex ipso fine
fodalitatis defumo: quem (nisi
me memoria ludit) in virtutibus
progressionem appellatis. Qui
hoc sentitis, illuc transite: qui

alia omnia, in hanc partem. Bene agitur AA. video enim ad unum omnes, in meam pedibus ire sententiam. Ite! ite! hoc enim pacto, Joannem nostrum, in Sodalium numerum, cunctis suffragiis retulisti. In quo, si alimenti frugalitatem requiritis: *venit Joannes neque manducans neque bibens*; si ciborum parsimoniam: *victus autem ejus erant locustæ, & mel silvestre*; si potus moderationem: *neque vinum, neque siceram degustavit*; si vestium asperitatem: *Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos*. Jam verò quis nostrum omnium est, qui tales virtutum exercitationes frequentaverit? specioso-

tamen Sodalis Mariani nomine ad unum omnes gloriamur. Ista porrò , si ultra naturæ humanæ vires esse , si ardua , atque intolerabilia videri possunt ; alias , eásque Mariano Sodale dignas suscipiemus virtutes , quibus Joannes noster excelluit ; quæque illum Matri gratiarum in paucis charum reddidere. Prima omnium virgineæ integritatis signum extulit Maria , dum Sacramenti religione se se obstrinxit : nunquam ad matrimonii illecebras velle deflectere ; & ecce ! primus omnium Joannes sacræ huic militiæ nomen dedit , atque ità strenuè in castris pudoris merere cœpit ; ut dum inexpugnabili animi firmitate iterum , iterumque Herodem

perterreret: *non licet tibi babere uxorem Fratris tui*: primus omnium, gloriosam pro castitate mortem appetierit. Ad Mariæ autem exemplum, quæ cùm Mater Domini & diceretur, & esset, Ancillam tamen se se professâ est, quām demissè de se senserit; advertite. Quamvis divina veritas humanitate convestita, semel ac iterum testimonium reddiderit: *non surrexit major internatos mulierum Joanne Baptista*: ille tamen tam abjectè de se pronunciavit; ut solemni interrogatione scitantibus: *quis es tu?* constansimè, & humillimè respondebit: *ego vox clamantis in deserto.*

Postularet quidem AA. Mariani locus iste, ut tertiam veri Sodalis notam in medium afferam: quia tamen ex celebri hoc, quod recitari audivistis elogio: *non surrexit major inter natos mulierum Joanne Baptista*: venit mihi in mentem fraudulenta illa Juliani apostatae oppositio; quâ in contumeliam Sanctæ nostræ Fidei impudentissimè abutebatur, dum ex antecedenti optimo, captiosam inferebat confectionem: Servatorem nostrum, Præcursorum suo minorem fuisse. Calumniam hanc, paucis diluere conabor. Itane ô Julianæ! non surrexisse majorem inter natos mulierum Joanne Baptista, perdite contendis? ità sane. Ego

ipse, locum istum, ità quidem ad verbum lego; verùm longè alter accipiendum existimo. Quomodo? Joannem equidem, inter illos natos mulierum, qui posteaquam, in primi Parentis prævaricatione ceciderant, per gratiam Soteris nostri surrexerunt; post visos homines, omnium maximum surrexisse pronuncio, at, Servatorem mundi Christum Iesum, non ex muliere, verùm ex intacta natum Virgine: non surrexisse ad gratiam, sed humilem ad sublevandam nostram inopiam, in terram venisse affirmo.

Sed jam ad propositum revertamur. Signorum omnium, quibus ad certissimam Mariani Sodalis cognitionem adducimur,

fa-

facilè maximum , facilè verissi-
mum autumo illud esse : cùm quis
peculiari cultu Virginem Beatissi-
mam prosequitur. Animadver-
to AA. Mariani, & ex ipso vultu
colligo, plerisque vestrūm vide-
ri: nullam operam Mariano ho-
nori positam esse à Joanne. Quæ-
so nihilominus , & per vestram
vos pietatem obsecro : ne priùs
rogetis sententias, quām me pau-
cissimis expediam. Dicite ama-
bo, qua religione Virginem San-
ctissimam devincire vobis pluri-
mūm consuevistis? quas precatio-
nes Magnæ Matri multò acce-
ptissimas esse censetis ? enimve-
rò, nullō negotiō inter vos con-
veniet: centum & quinquaginta
grana , aut geminas illas & se-

ptuaginta Sphæras, quibus ab ro-
farum suavitudine, rosarii nomen
adhæsit; ultra cæteras omnes sup-
plicandi formulas, Matri Virgini
arridere. Et ego in hac sum
sententia. Pace tamen vestra tria
ex vobis percunctor. Primum:
quid ad singula Coronæ Marianæ
(ut vocatis) grana recitatis ? Sa-
lutationem Angelicam. Deinde:
in quot partes distribuitis hanc
precandi formulam ? in tres. Po-
stremò : qualisnam sit isthæc par-
titio ? alteram debemus Angelo
Gabrieli salutanti : *Ave Maria*
gratiâ plena Dominus tecum. Al-
teram Divæ Elisabethæ Mariam
refsalutanti: *Benedicta tu in mulie-
ribus , & benedictus fructus ven-
tris tui.* Extremam demum ab
Ec-

Ecclesia mutuati sumus. Salva
res est AA. Hac ipsa die in domo
Cognatae Elisabeth, altera suppli-
cationis hujus portio suam acce-
pit originem. Ambigitis? ge-
mina Ecclesiæ lumina, Ambro-
sum alterum, alterum Joannem
Chrysoftomum audite. Hic ita
loquitur: *Linguæ maternæ bene-
dixit Joannes, eāmque traxit, ut
loqueretur.* Ille verò: *Vocem prior
Elisabeth audivit, sed Joannes
prior gratiam sensit, . . . Neque
priùs Mater repleta quād Filius:
sed cūm Filius esset repletus Spi-
ritu Sancto, replevit & Matrem.*
Quid verò Sancto Spiritu reple-
ta Mater egerit, nōsse cupitis?
continuò in divinas has laudes
erupit: *Benedicta tu in mulieribus,*
&

& benedictus fructus ventris tui.
Tibi igitur, ô Dive Joannes! ex
Patrum Sanctissimorum mente
meritissimò debemus: quòd pe-
culiare hanc precandi formu-
lam assecuti simus; quam tu ma-
terno ore protulisti: dum lingua
illius benedixisti, eandémque ad
loquendum excitâsti. Cauteru-
rior sit, qui nihil ad cultum, ni-
hil ad venerationem Mariæ, Jo-
annem nostrum contulisse sibi
persuadeat.

At surrexerit aliquis, & ex
illorum numero in medium pro-
cesserit, qui se se magnificè cir-
cumspicere consueverunt; ut ma-
gis licenter inficiari possit: Di-
vum Joannem, hoc potissimum,
quòd legibus Sodalitatis Maria-

næ non paruerit, in R. P. Mariana civitate donari potuisse. Huic ego vulgari Juris-Consultorum axiomate faciam satis: legem nondum latam, nondum obligare. Sub idem porrò tempus, geminæ tabulæ, in quas septem, decémque regulas Majores nostri retulere, nondum lumen aspexerant. Quemadmodum enim non primis, ac tenuibus Romani Imperii principiis, verùm post admissam gentium finitimarum multitudinem, An. U. Cond. CCC. S. p. Postumius, Sex. Sulpicius, A. Manlius creati Legati, utiliores Lacedæmoniorum, atque Atheniensium leges exscripsérunt, easdémque Decemvirorum operâ in XII. Tab.

Tab. redegerunt: pari ratione,
non primis R. P. nostræ Maria-
næ annis Leges, & S. C. accepi-
mus; verùm infinitis propemo-
dum Civibus in Sodalitatem
cooptatis.

Verùm, cùm longiusculè pro-
ducta oratio , jam festinet ad
exitum ; reliquum est Sodales
Mariani , ut Sanctissimum con-
gressûs nostri Antesignanum, pro
virili imitari studeamus. Sic enim
fiet: ut nos purioris mentis con-
scientiâ defensos , semper gau-
dentes, nemini offenditionem cre-
antes, judicio, & voluntate Ma-
riae filios esse, omnes intelligent:
ut virgineæ integritatis gem-
mam, in lubrica , ac periculi ple-
na adolescentiæ ætate incorru-
ptam,

ptam , & inviolatam quām fidelissimē asservemus: ut ad plenam nostri despicientiam , & contumaciam exemplō Divi Joannis adducamur. Sic fiet: *ut meliorum charismatum æmulatores* facti , de virtute in virtutem progressionem faciamus: ut suavissimam precandi formulam , quam à Divo Joanne materno ore loquente accepimus , summa devotione frequentemus; atque adeò singulari hac religione , cultum Magnæ Matris promovere , honorem efferre , augere gloriam , & æstimationem conemur. Sic denique fiet: ut præcipuis his Sodalis Mariani notis instruti , cùm decreta dies è vita hac mortali migrandi illuxerit; hilares,

res, securi, alacres in occursum
piissimæ misericordiarum Matris
cum festinatione abeamus.



A M I O D R A T U M
DE SEPULTURA
D I V Æ
CATHARINÆ,
O R A T I O IV.

Habita Szegedini,
IN ÆDE DIVI DEMETRII,
VII.Kal.Dec.A.MDCCXXXIV.

E P I S T O L A
AD ORATIONEM IV.

UT ingennè, quod res est, confitear; negare non possum: præsentem orationem, non tam mea voluntate, quād Auditorum importunitate, annō eodem, quā habita est, prælo subiectam fuisse. Prodiverat illa quidem in publicum, verūm à latini sermonis nativa venustate ita aliena; ut cùm speciem istam inducere illi parrem; difficultate rei, à proposito fuerim avocatus. Ne tamen ingenii, & eloquentiæ nostræ partus, qui primus omnium lucem publicam aspexit, penitus intercidat: molestissimo, ac difficillimo labore perfunctus sum. In hoc

igi-

igitur opere, si rationum momen-
ta, si ordinem, si connexionem
species; cum veteri illo in omni-
bus consentire videbitur. Si au-
tem ad periodorum structuram,
ad numerum, ad stylum oculos
convertas; aliud ab illo esse, o-
mnino intelliges. Quamvis non
defuerint complures aliæ causæ,
quæ me identidem urgere non ces-
sabant: ut ab operosa lucubratio-
ne ista abborrere tandem desiste-
rem. In his non postremum lo-
cum obtinet, jugis accepti bene-
ficii memoria, quod me Amplissi-
mus Civitatis Szegediensis Ma-
gistratus saepe numero dignatus
est. Quamvis incredibilis ejusdem
solicitudo satis posset ad animum
nostrum in gratificationis officio

conservandum: qua solicitudine,
cum patrocinium causæ meæ, tum
ingenuarum disciplinarum suscep-
perat. Cùm enim literarum di-
gnitatem vindicandam, & ab in-
juriosa despectione liberandam af-
sumpsisset; jámque adversario-
rum substructionibus, qui auctorita-
tate, clientelis, vi, numero plu-
rimùm valebant, eò res nostræ re-
cidiſſent; ut periculum causâ ca-
dendi imminere videretur: eo fer-
vore, conatu, diligentia optimâ
rum artium partes propugnare
Cives clarissimi voluerunt: ut cùm
labori nulli, nullis impensis par-
cendum existimarent, paucis die-
bus, negotium omne quād feli-
cissimè confecerint. Ut ergo Ci-
vibus de me, de literis, de Scho-
larum

larum honore optimè meritis gra-
tam aliquam vicem redderem, ob-
servantiæ meæ, perenne monu-
mentum dictiōnem istam esse vo-
lui.

DE SEPULTURA
DIVÆ CATHARINÆ,
ORATIO IV.

Quanquam inexpectatam mor-
tis memoriam, & acerbam
aliquando decependi necessitatem
ibi effenderitis, ubi ad festivita-
tem, ad elegantiam, ad relaxa-
tionem animi comparata omnia
expectabatis; ab amaris nihilo-
minus questibus, & à lugubri
commiserationis affectu Patres
Conscripti abstinetе. Cùm enim
hæc parentalia, propriùs in-
spexeritis, quæ pro maiestate Re-
gii sanguinis, ad immortalem po-
sterorum memoriam instructa,
anniversaria celebritate instau-
raturi sumus: nihil minus, quàm
tri-

tristes complorantium ululatus,
quām amaras funus prosequen-
tium lachrymas, quām luctum,
quām mcerorem notabitis. Cir-
cumferte oculos, atque in Divo-
rum immortalium aras defigite,
ad laquearia sacræ ædis attollite,
ad bases, ad parietes, ad rostra,
ad cancellos, ad universam de-
mum sacram supellectilem conji-
cite: ad unum omnia, tantam,
tamque humana majestate majo-
rem spirant dignitatem: ut nisi
vos religionis Romanæ authori-
tas avocaret, Jovem Capitolinum,
aut fabulosum Numen abhoc a-
liud, apparatu tam magnifico,
hujus fani hospitio excipiendum
esse, suspicari possetis. Assurgit
quidem in amplissima templi area

urna funebris; illa tamen sic au-
ro, gemmisque distincta, sic trium-
phorum emblematis exulta re-
splendet: ut Regiam Junonii tha-
lami speciem repræsentet. Acce-
dit liberalitate vestra restitutæ ar-
tis musicæ amœnitas, deliciæ,
suavitudo, quam præterire nullô
modô possum. Assequimini jam,
nullus dubito, quorsum mea in-
clinet Oratio P. C. assequimini;
quos tam acri judicio, tam vivaci
ingenio esse, perspectum habeo;
ut ex mansuetioribus literis plu-
rimùm solatii capiatis. Argumen-
to mihi est singularis vestra hu-
manitas, quâ & lectissimos libe-
ros vestros artis Oratoriæ præce-
ptionibus instituendos mihi cre-
didistis; & sacra hac luce, adi-
tum

tum ad locum istum aperuistis.
Assequimini, quis tam splendide,
tam hilare, tam magnifice effe-
rendus veniat: siquidem magnifi-
centissimum, quem coram intue-
mur tumulum, ex ærario constru-
xistis. Catharinæ funus longè
clarissimum, nullâ quidem homi-
num frequentiâ honoratum, sed
verò beatarum mentium operâ,
in Sina Arabiæ monte humatum,
anniversaria dictione celebratum
iri assequimini. Ne porrò pa-
tientiâ vestrâ abuti, ne muneri
meo apud vos deesse videar, qui
Scholas Pias, in hunc extra alios
plurimos, finem civitate donâstis:
ut Divæ Catharinæ memoriam
in singulos annos renovarent;
quanta licuerit maxima brevitate

proponam: Divinis Catharinæ parentalibus, neque paria, neque celebriora usquam gentium extitisse; vos pro solenni vestro benevolè audite.

Tria sunt P. C. quibus optimorum Civium Manibus, & bene velle possumus, & illustre illorum nomen ad immortalitatem prorogare. Horum alterum ad loci celebritatem, cui funus inferri contigerit, pertinet: alterum ad frequentiam & nobilitatem justa persolventium spectare debet: postremum à Majoribus hominis vitâ functi, & à rebus illius præclarè gestis peti solet. Quorum singula cùm tanta sint, ut ipsa per se satis posse videantur, ad redimendam famæ perennitatem;

in controversiam revocari nullô modô convenit: omnium magnificientissimam sepulturam fore, in quam triplex ornamentum istud confluxisset. Expectare mihi videntini P. C. quæ, quantâque sit montis Sina dignitas, & laudis amplitudo; expectate quam vultis maximam, vincam tamen expectationem omnium: si collis hujus, cui Catharinæ funus illatum novimus, religionem, dignitatem, æstimationem ex sacris literis audire sustinebitis. Ad dubitatis? age in Arabiam contendamus. O salve montium venustissime! felicior orbis terrarum regio, collis Divinissime! Tu enim collis ille es, in quo, dum Moses testamenti tabulas de

ccelo acciperet: cæperunt audiri
tonitrua , ac micare fulgura,
clangórque buccinæ vehementius
persepebat ; totus autem mons
Sinai fumabat , eò quòd descen-
disset Dominus super eum in igne,
& sonitus buccinæ paulatim cre-
scebat in majus , & prolixius ten-
debatur. Quid plus ? dum ve-
nit Amalec , & pugnavit contra
Israël ; Moses , Aaron , & Hur
ascenderunt super verticem collis
Sinai , cùmque levaret Moses ma-
nus suas , vincebat Israël . Ad
hæc: profecta omnis multitudo Fi-
liorum Israël de deserto Sin , ca-
stra metati sunt , ubi non erat
aqua ad bibendum : & ait Do-
minus ad Mosen: en ego stabo
coram te supra petram Horeb ,
per-

percutiēsque petram , & exibit
ex ea aqua , ut bibat populus
meus . Petram autem Horeb ,
alteram ad radicem montis Sina ,
alteram ad jugum ipsum Geo-
metræ sacri constituunt . Ratum
proinde , & firmum habeatis : ne-
que montium aliquem reperiri
posse , in quo DEI Opt. Max. glo-
ria , majestas , amplitudo in tan-
ta hominum frequentia crebriūs
resplenduisse : neque à memoria
hominum visum fuisse Principem ,
Regulum , Imperatorem , aut a-
lium ab his , orbis terrarum Do-
minum , qui usque eò celebrem
sepulturam meruisset . Cessent ,
cessent officiosa Baetra , suam in
Meandrum pietatem tantopere
commendare ! mittat Artemisia
reli-

religionem suam tam magnifica prædicatione efferre ! nihil ad Catharinam Meander , nihil Mau-solus : nihil ad montem Sina Ba-
etra ; nihil Artemisia . Nemo ta-
men sit ; qui , dum ista avidis au-
ribus excipit , malè de nobis exi-
stimet : quasi geminis his , ac o-
mnium sermone celebratis fune-
ribus , fidem vellemus derogare .
Quamvis enim plurima , ad pro-
movendam urbium , & regnorum
famam magnifice conficta fuisse
non ignorem ; istis attamen au-
thoritatem testimonii detrahere
nullò pactò volo . Nam illud qui-
dem ultrò admitto : tot , tantisque
dotibus , pulcherrimis belli , pacis-
que artibus claruisse Meandrum ,
ut posteaquam de vita decessisset ,
testa-

testatum factura Baetra , quem
Principem amisere , ad locum ,
& diem hunc in finem condixe-
rint : quò Magistratum omnium
confessione , divinos eidem ho-
nores decernerent , & rogum pro
more componerent . Res ex ani-
mi cessit sententia : civitates finiti-
mæ ad spectaculum effusæ , soluta
religio , sacra terminata . Sed ô De-
ûm , hominúmqne fidem ! punctô
temporis universa Baetra in discri-
men longè maximum adducta
sunt . Quandoquidem ingens con-
troversia , de Meandri cineribus e-
nasci cœpit : quænam potissimum
Urbium , tanti Principis sepul-
chro dignior haberetur ? Et ec-
ce tibi ! ex pia hac contentione ,
impia lis exoritur ; concitatur tu-
mul-

multus; ad arma ruitur; instruuntur acies; civile bellum exardescit. Furor tandem, motusque ille hoc S. C. ita restinctus est, ut nulla scintilla incendii remanserit: jussa, videlicet, unaquaque Urbium, pro Regiae maiestatis splendore, monumentum sepulchro addere; in quod, æqua lance, per Bactra universa divisi cineres inferrentur. Istud autem facilius, & procliviùs concedendum arbitror: Artemisiam incredibiliori venustate, animique magnitudine mulierum facile primam, ea fuisse pietate in Mausolum conjugem; ut religioni sibi duxerit, Mariti sui bustum tumulo includere; verum piius illius Manibus bene precata, quotidie

tidie inter Regiae mensae delicias, de Mausoli sui cineribus, partem aliquam, summa cum voluptate, & animi dulcedine, eò usque in stomachum trajiciebat; quoad-usque Virum sibi olim in paucis charum quantuscunque erat, intra viscera tumulavit. Jam nunc ego, per cognitionem rerum vetustarum, quâ plurimum polletis, oro vos, atque obsecro: ut si funus geminis his illustrius, memoriâ tenetis; in medium adducatis. Certus enim verò sum, quidquid ex omni antiquitate devocaveritis, infra montis Sinai dignitatem fore.

Sed hæc de sepulchro; ad beatissimos illos spiritus, ità enim rerum ordo postulat, à quibus

Divæ Catharinæ parentatum est,
convertamur. Quod ad me at-
tinet, quoties temporis illius me-
moriām repeto ultimām, quō pri-
mūm beatarūm mentium excel-
lentiam propiūs inspicere, & me-
ditatione bene longa, quantum
per ætatem, & vires licuit, etiam
assequi conatus sum; toties de
Patrūm Sanctissimorum sententia,
firmè statuo: ne M. T. Cicero-
nis quidem eloquentiam suffice-
re ad naturam, & decus civium
cœlestium explicandum. Quan-
tum tamen diuturna commenta-
tione colligere potui, ob oculos
ponere contendam. Tam sub-
limis, tam divina est novissimi
cujúsque in cœlestibus Angelis,
honoris amplitudo, & eminen-
tia;

tia; ut postquam summorum Magistratum fasces, & secures, atque adeò magnifica Publicanorum, Quæstorum, Censorum, & Consulum nomina, ad unius hominis personam contraxeris; quantum anima corpore potior est, tantum mortales omnes purissimis, & omnis nævi expertibus animis inferiores esse, recognosces. Nam, quousque à Patria cœlesti, ad quam unicè aspiramus! extorres, exulésque, peregrinorum ritu, vitam vivemus levem, mobilem, & volubilem; quamvis universo terrarum Orbi, cum imperio præsimus; ab humanæ vitæ miseriis, nos ipsi expedire, nullâ vi, nulla arte valemus. O miseram rerum morta-

lum, conditionem! ô acerbam
fatorum vicissitudinem! quām
fēdam, boni Sūperi! in luteo
fragilis corpusculi vase, ægritu-
dinem, molestiarum, fordium
colluvionem circumferimus? quo-
tidiana corporis reficiendi necessi-
tas, cibi, potūs, somni, relaxa-
tionis animi solicitude, docu-
mentum dare potest. Quod
ipsum lepidissimō commentō, quō
Menenius Agrippa, plebem Ro-
manam, ad Patrum auctoritatem
revocâsse fertur, Livio narrante
didicimus. Sub primam mundi
ætatem, cùm non uni homini,
ut modò fieri amat, verùm re-
bus omnibus sua vox, suus sen-
sus, suum esset ingenium: indi-
gnatas reliquas corporis partes,
quòd

quod suâ curâ, labore, ministerio lautis, & tempestivis voluptatibus ventriculum alere, nutriré que opus habeant; conspirâsse, eidémque dixisse diem. Cerebrum pro tribunali confederat; cum data loquendi potestate, oculi primùm barbaram, crudelem, & inexorabilem ventris tyrannidem, amara dictione exaggerare cœperunt: quod crudô illius imperiô antelucanas opificum vigilias prævenire, serò admodùm, & plena nocte ægrè quietem impetrare, noctu, atque interdiu excubare adigantur. Manus servitiorum lassitudines, rusticationis incommoditates, in cibo afferendo defatigationes, tanta vocis, tanta animi contentionе exa-

gitare visæ sunt: ut cùm diris omnibus stomachum devovissent, illiusque unius causâ se ad stivas, aratra, pecudes, triremésque damnari, & testibus satîs locupletibus, & interposito jure-jurando probavissent; finem facturæ non crederentur: nisi prolixam accusationem pedes interpellâssent. Hic isti, ô effrænem iracundiæ licentiam! quos non labores? quas non molestias in judicium protrahebant, quibus in vastissima ventris mole circumferenda, in dies plus, plûsque occalescunt? lingua inde, suas agere partes, & incusationem ab ovo parabat ordiri; cùm illius loquacitatem judex veritus, & à comperendinatu, ut qui maximè abhorrens,

suf-

suffragia exemplò rogari debere, edixit. Nec morā, cedit à causa miser stomachus, & severô Prætoris interdicto cavetur: ne manus ad os cibum ferrent, ne os reciperet, ne dentes conficerent. Hac irâ dum ventrem dormare volunt; postridie ille esurire, deinceps latrare, tum languere, cibumque omnem cum fastidio rejicere; ad extremum, membra ad unum omnia, in perniciem, & exitium secum præcipitare. Habetis P. C. vitæ nostræ statum sanè quam calamitosum brevè recitatum; à quo tamen beatos cœlorum incolas quam longissimè abesse, inter prima Religionis capita didicistis. Nullâ illi arrogantiâ, nulla ambitione

efferuntur; nunquam cceco, ac
præcipiti furoris impetu in trans-
versum aguntur; nunquam alien-
nis inhiant facultatibus. Nulli
invident, nulli succensent, nulli
offensioni esse possunt. Omnis
illorum occupatio: gloriæ Con-
ditoris assistere, præsentem Dei
vultum cernere, in circumscri-
ptum lumen videre, nullo mortis
metu affici, incorruptionis perpe-
tuæ munere lætari. Horum, in
res creatas imperium siqui ratio-
ne, & intelligentiâ comprehen-
dere gestiunt; audiant, quid sa-
cra Regum historia memoret:
*factum est in nocte illa, venit An-
gelus Domini, & percussit in ca-
stris Assyriorum centum octogin-
ta quinque millia: & rursum: cum*

extendisset manum suam Angelus, de mane usque ad tempus constitutum, mortui sunt ex populo, à Dan usque ad Bersabee septuaginta milia virorum: ex his, ad reliquorum omnium, quæ propemodum infinita sunt; cognitionem planè pertigerint.

At, quorsum me intempestivus dicendi ardor abripit? tempus exigit, ut ad sospitalis vestri Numinis mores integerrimos, regiámque illius domum defleat oratio. Grande nobilitatis decus, & fumosas Majorum ceras, vix quicquam dignitatis conciliare, imò probro, & despiciunt toties exponi, nemo est, qui non intelligat: quoties ad ignavum, inertem, & à virtute Pa-

trum alienum nepotem, aut neptem devolvuntur. Vera enim nobilitas, quæ cùm suo digna sit nomine, tum à vulgo discrepet, hæc una, jure optimo, dici debet: cui usque adeò arcta necessitudo cum virtute intercesserit; ut quò honestiori loco, quò genere clariori cuique nasci, & ampliorem, atque copiosiorem hæreditatem adire contigerit; hoc rerum præclarè gestarum numerô, excellentiâ, splendore cæteris præstare conetur. Ecce tibi Divæ Catharinæ laudes compendiario circuitu definitas. Datâ etenim operâ Avorum, Proavorúmque illius gloriam prætereo; quorum plerique; auctoritate Regia, omni Græciæ cum potestate præfuisse.

Ex

Ex industria, pulcherrimum adolescentiæ florem, in sanctissima turpificatæ luxuriei ignoratione, in diligenti artium optimarum translatione sanctissimè traductum in memoriam revocare negligo. Si námque jugem literarum famem reminiscor, si animosam in pietate propugnanda solertiam recordor, quâ Maximinum ad sacrilegas Deorum aras facientem constanter, & liberè redarguit; quâ quinquaginta Græciæ Sapientum robur infirmavit; quâ plurimos à superstitiosa religione, ad cultum veri Numinis avocavit; vereor: ne concessi temporis angustiis egrediar quidem; verùm ad Divæ Catharinæ facinora summatim etiam referenda minùs compara-

paratus inveniar. Hoc unum, quod subjecturus sum, elogiorum omnium, quæ sine numero adferri possunt, partes sustineat: Divam Catharinam, pro comprobanda religionis Christianæ veritate, vitam cum sanguine gloriosissimè profudisse.

Intellexistis, nihil dubito, quæ & quanta sit montis Sinai dignitas, & à Sacramentorum complexione religio: intellexistis, quām longo intervallo, beatæ illæ animæ, corporisque expertes spiritus, humanæ ambitionis gloriolam, amplitudinis lumen, dignitatis majestatem post se relinquant: intellexistis ab omni sæculorum memoria, usque eò celebre funus nemini decreatum

tum fuisse, quod cum Catharinæ sepultura in comparationem venire posset. Jam ergo vos consulo, quid mihi faciendum existimetis. Id enim consilii profectò taciti dabitis, quod ego mihi necessariò capiendum intellico: ut nempe Sospitam, Patronam, Defensatricem Urbis hujus, conceptis verbis, & ardentissima prece venerari contendam. O clarissima cœlestis sapientiæ Magistra! ô acerrima virginalis pudicitiæ custos! ô divinissima Christianæ fortitudinis idea! admitte anniversariam votivæ celebritatis memoriam! admitte civium optimorum, Magistratum æquissimorum, sacrorum purissimorum religionem,

de-

desideria , supplicationes admitte ! age age providentissima , sa-
pientissima , vigilantissima Procu-
ratrix ! Civitatem tuam , à gra-
vioris cœli injuria , & pernicie
tuere : à sterilitate agrorum , fru-
gum inopia , à caritate annonæ
defende : à vaſtitate , à ſeditioſis
motibus , à domeſtica , extranea-
que perturbatione cuſtodi : ut
Patres Conſcripti , ut centumvi-
rale judicium , ut urbana plebes
clarè intelligat : ſe in amorebus ,
ſe in affectibus Catharinæ
primô locô eſſe .

DE VERBORUM PROPRIETATE

Cincinnis, & fuco Elo-
cutionis præferenda

O R A T I O V.

Habita Nitriæ,

In Schola Eloquentiæ,

Kal. Aug. An. MDCCXXXVIII.

E P I S T O L A
AD ORATIONEM V.

Pertinaciam pravæ consuetudinis, quæ nobiscum creverit, nobiscum adoleverit, ponere velle: naturæ ipsi vim inferre est. Tenaces enim eorum cùm primis sumus, quæ rudibus annis didicimus. Hinc fieri amat: ut primis rei literariæ rudimentis humaniores plerumque disciplinæ respondeant. Contingit quippe quād frequentissimè; ut duo, plurēsve adolescentuli, æqualia ad Scholas ingenia adferant, contentionē summa in literas incumbant: alter tamen apertè, emendatè, gravi-
ter, non sinè jucunditate, de re qualibet scribat, dicatque; alter au-

autem barbaram , lutulentam ,
tumescentem dictionem , adulta
etiam ætate parturiat. Cùm
itáque in cogitationibus istis mul-
tùm , diúque versarer ; animad-
verterem autem eorum nonnul-
los , qui se mibi in disciplinam
tradiderant , levi , ac inflato di-
cendi genere delectari ; metuerem
verò , ne malum in dies serpat ,
latiusque propagetur : privatis
monitionibus , illos ad officium re-
ducere conatus sum. Ut proin-
de res ex voto caderet , notas o-
mnino probrosissimas , ex Paulini
& S. Joseph , & ex Jacobi Fac-
ciolati lucubrationibus , magnō
numerō delegi ; quibus notis , à
clarissimis his ætatis nostræ Ora-
toribus , arrogantis , & superva-
K canæ

caneæ, in eloquendo cultionis se-
tatores inuruntur. Sed familia-
ritas ludicrorum codicum, ac diu-
turnior pigmentorum consecratio,
altiores in quorundam animis ra-
dices egerat; quam ut privatis
monitionibus evelli posset. Igi-
tur quò proclivius, minoréque ne-
gotio frequentissimam, & lectissi-
mam Juventutem literariam, ab-
sturgescentis eloquentiæ studio
mature avocarem, atque ex offi-
cii mei munere, purioris sermo-
nis amore, discipulorum animos
inflammarem; obvia hæc ratio-
num momenta, ad captum eorum
dem accommodavi. Hanc ergo
laboris mei causam fuisse, inge-
nuè confiteor; ne quis existimet,
ab elatione animi, ista fuisse pro-
fecta.

fecta. Novi ego jejunitatem
meam, & quam parum in hoc
ipso genere possim; probè cogni-
tum habeo. Illud tamen sinè pu-
dore, & verecundia disertè profi-
teor: si mibi errandi necessitas
incumbat; malle me tenuitate,
& humilitate styli in errorem la-
bi: quam mollitudine sermonis,
aut importuna congerie pignen-
torum.

DE VERBORUM PROPRIETATE,
Fuco, & cincinnis Elocutionis
præferenda,

O R A T I O V.

PLÙS æquô audax esse, & à quotidiana hominum consuetudine discessione parare videor; quod tempestate calamitosissima, quâ infinitæ gentium barbararum copiæ, patriis finibus, inimica, atque infesta signa intulerunt: posthabita salutis propriæ ratione, quam unus quilibet in tuto collocare, & hostium furori subducere, unicè in votis habet: Romanæ linguæ gloriam vindicandam, & quantum per vires licet, à teterrimis fordibus, atque à moliori, effœminatōque luxu

luxu susceperim perpurgandam.
Quodsi Cæsari, ut Tullius in Bru-
to testatum facit, gravissimis R.
P. occupationibus, & innumera
hostium multitudine circumven-
to, laudi esse potuit: qnòd de
ratione latinè loquendi accuratissimè scripserit: omnem temerita-
tis suspicionem à labore nostro
amovebimus: si per solicitam ve-
ritatis perspicientiam didiceritis,
orationem istam, ad ingenia ve-
stra provehendum, comparatam
esse. Neque enim difficillimo
quóque tempore is esse volo, qui
meis rationibus velim consultum
bene, majestati literarum malè:
Sed verò, tum præclarè mihi pro-
spectum esse arbitrabor, cùm &
literæ pro dignitate tractabuntur,

& ex earum tractatione, frumentum amplissimum capietis. Fama est, Catonem Uticensem, in ipsa curia Romana, cum de inferendo bello gentibus barbaris, sententiae rogarentur; libros lectitare consueuisse: Pompejum verò in ipsis castris nullum diem finè lectione elabi sustinuisse. Ego etiam audere, & posito metu, rem captui, atque autoramento vestro maximè consentaneam, pro munericis mei ratione decrevi commendare. Nemo tamen sit, qui persuaderi sibi sinat, deridendi, & exsibilandi sui causâ dictionem istam instructum iri: quo pacto enim, in vos, ô Juvenes lectissimi! deliciæ meæ, gloria mea, dimidium mei, tam acerbus, tam inju-

injurius esse possem? verùm, hac
potissimum ratione, ad dicendum
impellor, quòd matura præsagi-
tione cognoscam: fucosum, in-
solens, molle dicendi genus, ad
quod ætatis verius, quam inge-
nii vitio aliquando declinatis, vo-
bis detrimento, mihi dedecori
fore. Hoc porrò vitium, ex
perpetuo troporum, & Schema-
tum abusu, ex frigidis leporibus,
& cumprimis ex luxurie, obscu-
ratione, obfoleti verbi usurpa-
tione, ex fabellarum, exempla-
rum, sententiarum coagmen-
tione procreat. Et quamvis
hæc talia sint, quæ suo loco, &
tempore advocata, clarissimum
orationi lumen adferunt, quia
tamen frequentatione ipsa in de-

pravationem orationis degenerant: proprietatem verborum, crebritate pigmentorum potiorrem esse, discite existimare.

Marcus Tullius Cicero, vir omni eruditionis genere instruētissimus, idēmque divinissimus in dicendo Magister, ut integritati latini sermonis providere, ut ingenui cuiusque, atque ad honestatem à natura facti hominis manus, & calatum, ab redundante ornamentorum coacervatione absterrere posset: postea quam dixisset: *Cæsarem ferè omnium Oratorum loqui elegantissimè: nec id solum domestica consuetudine, & dudum Læliorum, & Domitiorum familiæ: sed ut perfecta esset illa bene loquendi laus,*

laus, multis literis, & iis quidem reconditis, & exquisitis esse consecutum; libro eodem, in hæc verba prorumpit: etiam commentarios quosdam scripsit Cæsar rerum suarum, valde probandos, nudi enim sunt, recti, & venusti: sed dum voluit alios parata habere, unde sumerent, qui vellent, scribere; ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris inurere, sanos quidem homines, à scribendo deterruit. Itáne verò, bone Cicero! inepti homines, & neque satis fani tibi videntur, qui naturalem eloquentiæ pulchritudinem, gratiam, amœnitatem fastidiunt? quid, quæso, dicturus eras, si unum aliquem, ex illa Oratorum

fecta , pro concione dicentem offendisses ; qui dum summa animi , summa vocis contentionem nititur , cupiditates frangere , similitates componere , benevolos captare , pertrahere repugnantes : tanta tamen ornamentorum varietate , tanta ubertate dictionem obruit ; ut nemo unus audiens percipere possit : qua de re declamationem instituerit ? Causinus certè palam fatetur : nihil magis flultum cogitari posse , quam velle orando persuadere ; ita tamen dicere , ut intelligi omnino nequeas . Patrum equidem nostrorum ætate memorie proditum est , quemdam fortunæ mediocris hominem , vehementiâ morbi in furorem incidisse ,

qui

qui quòd vitream corporis mollem contigisse sibi crederet, obvium quémque fustuário excipere, atque à vicinia absterre conabatur. Alterum commentitia capitis sui magnitudine, granditatem montium exæquari ratum, neque amplissimos ædium ambitus satís esse, ad abdereticum, atque insanis substructionibus laborans cerebrum, teſto recipiendum existimantem; sub nudo jove, asperrimas cœli injurias præfractâ patientiâ tolerâsse. Nostrâ etiam memoriâ erat, qui manus inter, ac sepulchra, multos dies, & annos delituit: quòd persuasum haberet, animam sui corporis olim inquiline, ob admissum nescio quod crimen, in
vici-

vicini asinum commigrâsse. Nihilominus post visos homines, abrepto animi sensu, ad infanitatem ultrò abire voluisse, nemo visus, nemo notatus est. Quod tamen illis ipsis, ex Ciceronis, & Causini mente accidere paulò superius vidimus, qui in conquirendis vocibus inquinatis, qui in facetiis, qui in argutis elegantiis ad orationis depravationem coacervandis, ætatis robur magnam partem atterunt, & valedudinem ipsam, saepe numerò in discrimen conjiciunt: quique si bi videntur toties digitō ccelum contigisse, quoties novam, peregrinam, mollem, aut ab Andronici, Nævii, Pacuvii Abavis petitam voculam, in ad-

ver-

versaria retulere. Boni Superi ! quousque tandem acutissimô homines ingenîo , verum iter gloriæ ignorabunt ? quousque expedita dicendi ratione posthabita , in salebrosæ elocutionis asperitate hærebunt ? ô deplorandam tot solertissimorum Juvenum lusionem ! E quibus planissimè conjici potest , in perniciosa hanc ; & ab inferis (si id sentire per religionem licet) evocatam inquitatè loquendi consuetudinem , non illos solùm venire , qui obsoleti verbi frequentatione , patriæ linguæ admistione , grammaticarum præceptionum ignoratione , orationem caliginosam , barbaram solcēcismisque deformatam procudunt : verùm etiam vio-

violentum translationum, Sche-
matum, exemplorum congestum,
ad corruptelam Romanæ linguae
facere. Jam familiaribus docu-
mentis rem omnem illustremus.
Exquisitissimis, atque ab ultimis
finibus Arabiæ felicioris, petitis
epularum condimentis immoder-
atè, & insolentiùs abutere: quid
ultra ad jaēturam valetudinis de-
siderabitur? falernum vinum,
quod & meracum sit, & suavissi-
mo odore, cœnaculum compleat,
familiaribus cœnis inferatur, mo-
dum excede: quod virus pesti-
lentius in viscera abdidisti? spe-
ctatissimas medicæ potiones, in-
fano sumptu ad restaurandam va-
letudinem congere, sed verò ma-
jori quam par est pondere, ma-
jori

jori numero affecto ventriculo
ingere: Mecastor! quam morbo-
rum colluvionem invexisti? quem-
admodum ergo, & medicinæ, &
vini, & condimentorum usus par-
cior, ad salutem corporis pluri-
mùm potest, nimia verò abuten-
di facilitas, & temeritas sexcen-
tas ægritudines ingenerat: ità la-
tini sermonis ornatus omnis, si
parcè, & cùm res postulat, ad-
moveatur, illustrat; si immode-
ratus sit, obscuram reddit di-
ctionem.

Quantâ autem curâ, quám-
que studiosè proprietatem verbo-
rum custodiverit idem Cicero,
satis magno argumento esse po-
test, quod subjiciam. Fuit, cùm
existimaret: *inbibere remos*, idem
esse,

esse, ac *retinere*. A nautis sub-
inde edoctus *inhiberi remos*,
cùm navis ad puppim converti-
tur; minimè cessandum putavit,
donec Atticus, & Varro moni-
ti, locum istum, in altero quæ-
stionum Academicarum libro e-
mendârunt. Quod ipsum hæc
Tullii ad Atticum satîs apertè in-
dicant: *inhibere illud t:ium, quod*
mibi arriserat, vehementer dispi-
cet; est enim verbum totum nau-
ticum: quanquam id quidem scie-
bam, sed arbitrabar sustineri re-
mos, cùm inhibere, essent remi-
ges jussi. Id non esse ejusmodi
didici beri, cùm ad villam no-
stram navis appellaretur: non
enim sustinent, sed aliō modō re-
migant. Quare facies, ut itā
sit

sit in libro, quemadmodum fuit.
Dices idem Varroni, nisi forte
mutavit. Ecce incredibilem Ora-
torum Principis solicitudinem in
verborum notione conservanda.
Revivisceres utinam ! revivisceres,
atque ad communis auræ usuram
ab inferis reverteres ; ô acerri-
me purioris eloquentiæ vindex !
foret profectò, quòd argutuli isti,
qui Latium omne perniciosissimo
luxu inquinatum pergunt ; aut
publico abstinerent, aut licentio-
ri loquacitati frænos injicerent.

Quod utinam suam illi infeli-
 citatem intelligerent, dumque
 nativæ latinitatis cultores, per
 summam injuriam despiciunt,
 quanto ipsi apud eruditissimum
 quemque despiciatui exponantur,

L per-

perviderent: à consecrandis su-
catæ eloquentiæ pigmentis, ad
naturalem Romani sermonis ele-
gantiam, atque adeò ad verbo-
rum proprietatem conatum o-
mñem, ingenium omne transfer-
rent: neque in fœdissimam erran-
di necessitatem tum potissimum
ruerent: cùm excolendæ, & per-
poliendæ locutioni vacaverint.
Rei hujus ambiguitatem, ad ve-
ritatis lucem proferri postulatis?
finite me, ô Juvenes lectissimi!
quos ego amantissimæ sobolis lo-
co semper habui: finite me unum
alterumve, ex abusibus illis ad-
ducere, in quos diebus proximis,
intempestivâ ornatûs curâ aliquot
vestrûm præcipitavet: Erat, qui
adversaria publicanorum libellos,

in

in quos, dati, & accepti rationes negligenter, & sinè delectu referuntur; pro adversis rerum vicissitudinibus usurpavit: erat, qui verbo funebri *parentare*, genitorem optimum salvere jussit, qui *diem calumniatori dicere*, idem esse, atque ex urbana consuetudine felix, ac faustum mane gratulari existimavit. Erat, qui *hominem novum*, pro peregrino, & advena: qui *cæli gravitatem*, pro nubibus pluvias minantibus: qui *senem stomachantem*, pro acerbis ventriculi doloribus vexato, decrepito, vetulóque homulo, ad pensum literarium (exercitium dicitis;) ad ornandum chartis inscripserat. Dies me deficeret, si in putidis hujus generis men-

dis recensendis, acer, & industrius essem.

Pudet me vestri, imò miseret infucati Oratores! siquidem vos coronariò, eóque mundissimô eloquentiæ aurô postpositô, fucum, & intertrimentum auri captatis; siquidem divitiorum gemmarum decore neglecto, vitrea margaritarum specie, oculis vestris imponitis: siquidem ludicra seriis, vera ambiguis, incerta probatis ptaferre contenditis. Verum, per me licet inaurato, cincimatique sermoni ultrò mancipemini; meritas temeritatis, & popularis auræ pœnas toties dabitis: quoties ad explanandos aureæ ætatis codices compellemini. Superi boni! quam in clara latinitatis

tatis luce , propemodum cœci
lippietis? quām jejuni , ab exqui-
sitissimis reconditæ eruditionis da-
pibus recedetis? vix una , alterā-
ve periodus evolvetur ; jam aspe-
ra , inæqualia , salebris horrentia ,
aculeis , vepribus , spinisque obsita
clarissimorum virorum , clarissima
volumina quæsti , loquacitatem
Ciceroni , brevitatem Cæfari , tu-
morem Paterculo , archaismum
Terentio , frigus Nepoti : Cur-
tio , Livio , Sallustio obscurita-
tem appingetis. Quid consilii
in tanta sententiarum inscientia
capietis? qua ratione conceptam
de vobis eruditionis opinionem
sustinebitis? qua arte in frequen-
tissimo literatorum congressu ,
claritudinem nominis vestri ab

ignominia redimetis? cùm neque vastissimas librorum moles, quas Calepinus, Passericius, Nizolius, & novissimè ad veterum omnium invidiam Jacobus Faciolatus conscripsit, circumferre, neque celebratissimis Romanæ eloquentiæ Parentibus, citra impudentiæ, & projectæ temeritatis maculam, derogare fidem audebitis. Certò id futurum est: ut ex taciturnitate, pudoris: ex ignorantis confessione, dedecoris: ex patefacta inscientia, & explanandi metu; ac diffidentia, infamiæ, & contumeliæ nota vobis inuratur. Pro explorato itaque sit: ad veram eloquentiæ laudem neminem, unquam, pervenire posse, qui delectu verborum spre-

spreto, nî nisi latinos atticismos conquisivit. Quemadmodum enim, vix integris sensibus hominem censeremus, qui attritioribus ex lacernis, atque ex obsoletiorum vestium appendicibus resarciendo amictui, pretiosi metalli fimbrias adnecteret: pari modo impotens sui sit, qui lutulentam hiulcarum, resplendentium, titillantium, & auribus servientium dictionum prætextam, specioso translationum, similitudinum, figurarum apparatu contexerit.

Multa tamen, qui in purum verborum sensum, usum, deleatum alieno sunt animo, comminisci confieverunt, & apud rudem plebeculam hodie jactant:

verūm usque eò jejuna, ac temeraria, ut digna minimè sint, quæ acri etiam reprehensione, ad posteritatis memoriam transcribantur. Speciminis locò unum, alterūmve referemus. Ac primo quidem summa contentione, ac insolenti dicacitate illud nobis persuadere volunt: divinam purioris eloquentiæ majestatem, cùm asperiori cœlo sub quo degimus; tum corruptæ ætatis, quam vivimus, moribus commetiri debere. *Enim* verò fraudulenta hæc doctrinæ prænotio, aut Machiavelli disciplinam redollet; aut illos ipsos, à quibus ortum ducit, miserè conficit. Nam quid usquam aliud, magis inexorabilem fatorum necessitatem in-

du-

ducit: quām aut temporis corruptelam, aut aëris gravitatem, ad depravationem morum impellere quenquam posse? nā omnium callidissimi veteratores, in hunc sensum pronunciaverint. Sic nāmque latissima via panditur: spredo militiæ sacramento patriam prodere continuò licere, ut primū hostilem agrum contigeris. Hic campus apertissimus nequissimo cuique referatur: apud infideles ejurare fidem; apud procaces pudorem exuere; apud latrunculos prædas agere; denique: in conseleratissima projectorum, & nullius numeri hominum societate, ex scelere in scelus, ex nefaria fraude in truculentum facinus impunè ruere: in se-

met ipsum, in liberos, in Divorum immortalium sacraria injurium esse. Ætas autem ipsa, nemini vitio esse potest, cuius integritas æquè, ac iniquitas, à studiis nostris peti debet. Cui enim eruditissimum, & felicissimum sæculum, quod inter Ciceronis ortum, ac Cæsaris occasum ferè intercessit, cui, inquam, debet, quod aureum vocetur? luculentorum certè scriptorum frequentiæ, & eruditioni. Vos proinde licentiosam dicendi, & scribendi cupiditatem ponite, & momentō temporis auream ætatem restituistis. Ex principe hac partium suarum munitione expugnati, quò se vertant, nesciunt; illud tamen objectant: calamistris,

cin.

cincinnisque ad omnem elegantiam effictam orationem , magno audientium plausu excipi; ex adverso verò apertam istam, atque æquabilem latitudinem paucis admodum probari. Si conciones vestræ ex muliercularum conventibus , ex inertissimorum Juvenum concursionibus conflantur, sicut certè conflari consueverunt, veritas à vobis est: si verò viros eruditissimos , quibus latinæ linguæ maiestas , dignitas: amplitudo cognita omnino est, nominare non veremini ; pro gloria ignominiam: pro laude vituperium : pro honore contumeliam lucrifacietis.

Ad vos demum Juvenes letissimi redit otatio, vestram indu-

dustriam, conatum vestrum, in recuperanda veteri claritate implorat. Si enim toto terrarum orbe aliquid esse potest, quo Romanæ eloquentiæ lumen obfuscatur; si aliqua ab eruditioris Latii honestate ad mollem, & calamistris inustam orationem declinamus; si justam sapientum reprehensionem incurrimus; si ab evolvendis aureæ ætatis codicibus arcemur: calamitatis tantæ causa est, licentior, & redundans congeries pigmentorum. Dum ergo per vos licet, eō animo, ingruenti barbariei aditum præcludite; ut ad purioris eloquentiæ amorem, omnia diligenter, laboris, studii officia transferre: ut in unius Tullii lucubratio-

tionibus, & styli amoenitate delectari assuescatis ; qui apud posteros id consecutus est : ut Cicero (Fabii verbis utor) jam non hominis nomen , sed eloquentiae babeatur. Hunc igitur spectate ; hoc propositum sit exemplum : illeque se profecisse sciat , cui Cicero valde placuerit.



10

the first time he had seen the
whole country over, and the first
time he had been in a place where
there were no people. He had
seen the sea, and the mountains,
and the rivers, and the forests,

but he had never seen a place
where there were no people.

He was very glad to find that

11

there were no people in the

country.

He

was

very

glad

to

see

the

DE INSTAURATIONE
MAGISTRATUS
M A R I A N I
O R A T I O VI.

Habita in aula Sodalitatis

Nitriæ

VI. Id. Dec. A. MDCCXXXVII.

EPISTOLA AD ORATIONEM VI.

QUOD nonnullos populi Romani dignitates, quibus orationem aspergere visum est, citra unius cūjusq; authoritatis, gradūs, majestatis explanationem, ad rem nostram transtulerimus; ex industria factum est. Tempori enim serviendum erat, cuius angustiæ, prolixiorē dictiōnē excludebant. Tum etiam periculum facere placuit: quotus quisque in literaria nostra Juventute futurus esset; cuius diligentia, ad notiones urbis dignitatum, in veterum scriptis perquirendas excitaretur? vitia demum, ac morum corruptelam, non quasi perpetrata ab uno aliquo, aut qua-

si

si pluribus communia insectati sumus: quis enim usque adeò infamis vitæ juvenes in scholis Pii toleraverit? verùm hoc potissimum fine, quād plurima recensuimus: ut adolescentes ingenui ab improbitate deterriti omnem conatum convertant, ad pietatem, & morum integerrimorum culturam, cum optimarum literarum disciplina conjungendam.

DE INSTAURATIONE
MAGISTRATUS MARIANI

ORATIO VI.

QUÆ HÆC RERUM FACIES? QUÆ VIDUI MAGISTRATÙS LAMENTABILIS VASTITAS? QUÆ SOLITUDO? VACANT FASCES, & SECURES; DESTITUUNTUR MAJORUM SUBSELLIA; SENATORII ORDINES, TRIBUNITIA POTESTAS, PROCONSULIS IMPERIUM, PRÆTORI PRÆFECTI DIGNITAS ABROGATUR; DENIQUE AD UNUM OMNES, QUIBUS AMPLIFÍMAS OLIM DETULERATIS PRÆFECTURAS, DE PROVINCIIIS DECEDUNT. QUID VOBIS VIDETUR SODALES MARIANI! INTEGRUM NE FUERIT IPSOS ILLOS, QUI INCREDIBILI PIETATE, JUSTITIA, GRAVITATE R. P. NOSTRÆ MARIANÆ, ANNO PROXIMÆ SUPERIORI, CUM PO-
TESTA-

testate præterant: loco moveri? ab honoribus arceri? in ordinem redigi? minimè gentium: Ut tamen ambitioni, ut factionibus aditus intercludatur; ut potior virtutis, quam sanguinis ratio haberri queat; libera vobis voluntas redditur: ex cuius arbitrio, aut veteri magnam partem abrogato novitium sufficiatis; aut recentem omnino quantuscunque est creetis Magistratum. Quapropter ad redimendam jacturam temporis, cuius diuturniorem moram, rogandarum otio sententiarum abripiet: necessitatem primum, centuriatis, & curiatis comitiis istis Coss. Præt. Cens. inaugurandi paucis exponam: deinceps primas illorum dotes, qui-

bus imperii summa, & authoritas decerni debeat, enumerabo.

Singulari Numinis providentia constitutum animadverto: quod ad unum omnia, quibus utilitas, honestas, diuturnitas rerum illarum stabiliri assolet, quae vastissimo cceli, terraque ambitu continentur; ita per ordinem digesta, distributaque sint: ut alia aliis usui esse, & auxilium ferre possit. Brutas enim pecudes, immò naturas omni sensuum vigore orbas, invicemque plurimum dissidentes, ab uno aliquo, ad quem pertinet, jura, ac leges accipere, quot diebus sentimus. Apum examina posteaquam ad illum excreverint numerum, ut loci angustiis à convictu excludantur: idoneum

neum coloniæ deducendæ agrum
quæsituræ, ducem diligunt, à cu-
jus ductu, & auspiciis, ne trans-
versum quidem unguem decli-
nent. Cervi hospites, & pere-
grini flumen altius trajecturi, u-
num omnium jubent principem;
qui cùm in adversam riparum e-
vadant. Grues quoties explen-
dæ famis, aut quietis capiendæ
ratio exigit; de grege aliquam
pro specula constituunt, cuius fidei
vitam, salutemque omnium con-
credant. Illæ eadem, cùm loca
calidiora petentes, mare trans-
mittunt; in tergo prævolantium
colla, & capita reponunt. Quod
quia cæterarum dux facere nullo
modo potest, nec enim habet
ubi nitatur, revolat ut quiescat:

moxque in ejus locum, mironaturæ ductu, servato ordine, ex iis succedit, quæ acquieverunt. Annua tempestatum vicissitudo, alterna diei, & noctis permutatio, caloris incrementum, & diminutio, ad solis motum componuntur. Mira maris in singulos dies fluxio, & mira ab extremo reversio, cuius causam assequi frustrà conatus Aristoteles, aquis haustus interiit; lunæ cursum ab ortu ad occasum à Zephyro ad Eurum comitatur. Pulcherri-
mum hunc, rerum rationis ex-
pertium ordinem, divinô planè
confiliô, ad humani genetis quæ-
stum traducturi Majores nostri,
nihil quicquam intentatum reli-
quere: quo gentes barbaras, at-

que

que per asperitates montium, horrores sylvarum, saxorum crepidines, solitudinum vastitates misere sparsas, & ab omni humanitate alienas, in oppida, in urbes, in communionem cogerent, legibus subjicerent, justitiae præceptis informarent. Hunc in finem declarati Ædiles, qui sacris præcessent; lecti Optimates, qui Senatoriam dignitatem sustinerent: facti Censores, qui facultates civium æstimarent: constituti officiorum Magistri, qui ad morum disciplinam advigilarent: designati Quæstores, quibus ærarii cura mandaretur: Imperatores creati, qui delectum habere, militem conscribere, bellum administrare, pleno jure possent. Adver-

sus hos, ea continenter viguit ci-
vium optimorum reverentia; ut
in omni bene constituta rep. Deo-
rum immortalium locò haberentur:
quòd quemadmodum omni
religione destitutas civitates diu
consistere; ità rejecta officiorum
distributione, & calcata Patrum
conscriptorum auctoritate labefac-
tari, aut funditus everti amplissi-
ma quæque imperia probè co-
gnoverint.

Agite itaque, quod agitis,
cives Mariani! ne Resp. vestra li-
teraria, sanctissimis privata Ma-
gistratibus susque deque feratur:
dum per vos licet, licet autem
celebri hac Magnæ Matris nostræ
festa die, Duces, & in vita ad so-
dalitatis regulas conformanda
Prin-

Principes , incorrupta æquitate
jubete. Quod ipsum , ut altio-
ri consilio , & sanctiore animi sen-
su perficiatur : ad candidatorum
munus , & vitæ , quam præsefer-
re debent , innocentiam conver-
tamur. Rogatus quidam in sapi-
entibus ævi sui , omnium sermo-
ne celebratus : quales in civitate
Magistratus esse oporteat ? post
diuturnum silentium , speculum
ità fabrefactum exhibuit ; ut cùm
primùm paululùm inflesteretur ,
ea omnia , quæ ad vivum expres-
sa depinxerat , momentô tempo-
ris confusa , mutila , & in poëti-
cum chaos reversa ostentaret . O
dignam sapientissimi cujusque in-
geniô opinionem ! bacchentur pa-
ce mea , furantque hæreses ; Ma-

ria probioris vitæ speculum est usquequaque immutabile; Senatus Marianus speculum est, sed morum defectioni obnoxium. Firmissimum illud, juxtaque nitidissimum, perfectionis exemplar, Divus Ambrosius in hunc modum commendat: *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitaque Beatæ Mariæ, de qua velut in speculo resulget species castitatis, & forma virtutis. Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente. Corde humilis, verbis gravis, loquendi parcior, legendi studiosior: intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis, solita non hominem, sed Deum quærere: nullum lædere, bene velle omnibus,*

assur-

assurgere majoribus natu, æquilibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quia tamen purissimum hoc, & labis omnis expers speculum syderibus illatum est, conspectuique vestro subductum: Senatus Marianus pro vita melioris speculo, pro morum exemplo vobis esse debet.

Quapropter si Ductores vestri, ea pietate, ac integritate claruerint: ut cum civilibus conventiculis interfuerint; cum in optimarum artium studia incubuerint; cum ad aras facientibus servierint; cum pias ad Deum preces fuderint; cum Divinas epulas candidi Panis nive velatas frequentaverint: Marianam sanctimo-

Et moniam , religionem , pieta-
tatem , humilitatem , diligentiam ,
verecundiam pro virili æmulen-
tur : quis non videt , omnium
vestrūm studia , ad illorum pro-
bitatem compositum iri ? at , si
speculum deformari contigerit ;
hoc est : si in Rep. Mariana ii sint
Principes , qui quoties delubra a-
deunt , oculos sagittarum instar
in quemvis conjiciunt angulum ;
execrationem precationi , petu-
lantiam modestiæ , loquacitatem
taciturnitati , impietatem Divino
cultui sufficiunt : quoties Maria-
nos cœtus accedere jubentur ; aut
omnium veniunt novissimi , aut
dormitantes , fordidati , vagè ,
solute , & oscitanter sacris inter-
funt : quoties Moderatorum ocu-
los

los effugiunt; licentiosi, protervi, inverecundi, pessimas cum nequissimo quoque amicitias contrahunt: clamatoria voce, fracto incessu, gestu histriorum simillimo, occurrentibus sunt offensioni: quoties effrænis animi, prava cupiditas suaferit; nullam sanctioris loci, aut temporis rationem habere didicerunt; in ludo literario clamosi, desides, inquieti; in sacris ædibus curiosi, impii, anxii, submorosi; in plateis tumultuosи, turbulentи, litigiosи; in privatis domibus stomachosi, inobedientes, contentiosi, incommodi; denique ubique improbi, facinorosi, perditи: si, inquam, isti, ac istorum æmuli, in Rep. Mariana creentur Principes; tales

les cæteri sint cives , necesse est.

Videte ergo ; quibus fasces Sodalitatis detuleritis, & à nequissimorum profligatis moribus abhorreant, & ad Conceptæ hodie Virginis integritatem proprius accedant. Videte, eos Sodalitati Marianæ præficite , qui ad omne virtutis genus facem vobis præferant, & quemadmodùm speculum, ea omnia , quæ à sinistris repererit proposita, dextrosum traducta repræsentat; ità Senatus vester, sequiores , ac minùs compositas (si fortè irrepserint) actiones vestras , integerrimæ vitæ exemplô, in meliorem consuetudinem traducat. Fieri quippe consuevit : ut si corruptis moribus sint,

sint, ad quorum exemplar, mores quisque suos componere debet: teterimæ hæ maculæ, ac sordes fœdissimæ universam Sodalitatem afficiant. Ex adverso verò, si in legum custodia sedulos, in Sacramentorum usu frequentes, domi, forisque moderatos, ad Christianam humanitatem, modestiam, sanctitatem factos inaugureritis Magistratus: Deo T. Opt. Max. gloria, Virgini Beatissimæ cultus, vobis meritorum cumulus, extrariis bene moratae institutionis exemplum, optimis artibus decus, Scholis Piis laus, honor, existimatio accedet.

DE SPONSALIBUS
DIVÆ CATHARINÆ,
ORATIO VII.

Habita Prividiæ,
In Theatro Gymnasii,
Kal. Dec. An. MDCCXXXIII.

EPISTOLA
AD ORATIONEM VII.

Hoc omne genus orationis,
quod Epithalamium Græci
nominant, hunc in modum à ple-
risque tractari solet: ut universè
primum in laudes sponsalium ex-
currant; deinceps utriusque Con-
jugis Patriam, genus, corporis,
& animi dotes dilaudent; tum ce-
lebritatem nuptiarum, & vicino-
rum lætitiam prædicent; vota de-
nique concipient, pro felici libe-
rorum procreatione, & mutua vi-
ri, & uxoris concordia. Alii
verò ejus felicitatem, qui fidum
amicum invenerit, primo loco po-
nunt; huic gratulationem ex con-
ciliata inter Sponsos amicitia
sub-

subjiciunt; inde ad auguria venturæ prosperitatis veniunt; ad extremum, recitatis sponsorum natalibus, disciplinis, & dotibus, rem omnem faustis acclamatiōnibus concludunt. Horum vestigiis insistere visum est. Ad hæc: in Cana Galileeæ Sponsum fuisse D. Joannem Ev., D. Thomas Aquinas, 2. 2. q. 186. art. 4. ad 4. sustinet. Quod, utpote plurimis odiosum adnectere placuit.

DE SPONSALIBUS
DIVÆ CATHARINÆ
ORATIO VII.

A Trocissimi criminis suspicio-
ni locum dedissem, si sacra-
tis his feriis, quas adventuales
dicimus, à piissima venturi Ser-
vatoris expectatione, ad Tridenti-
norum Patrum authoritate ve-
titam sponsalium celebritatem,
temerè vos avocâsssem A. A. Ex-
ploratum enim habeo: hilarita-
tem hanc, citra omne consci-
scendi flagitii periculum, non si-
nè luculento animarum vestrarum
lucro institutum iri. Si etenim
in vulgaribus illis *nuptiis*, quæ
factæ sunt in Cana Galileæ, JESU,
& Mariæ præsentia tantum potuit,
quòd

quòd Divum Joannem Evangelistam, servata sponsæ integritate, ad Virginitatis castra transfugisse primùm, illum postea evasisse Discipulum, quem *diligebat* Jesus, cum Divo Augustino ità attestante: *Joannem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit*: V. Beda, Rupertus, Lyranus, Carthusianus, D. Thomas, aliique quām plurimi scriptum reliquerint: unde vobis in hodiernis sponsalibus metuendum esset; non invenio. Sponsa, ad omnem vitæ innocentis Sanctimoniam ab incunabulis formata, Sponsus Sanctissimus: Sponsa Virginei pudoris integritatem professa, Sponsus castissimus: Sponsa de Dei immortalis pulvinaribus optimè

merita, Sponsus piissimus: in summa: Catharina Sponsa, Sponsus Christus Jesus. Quare posito metu, atque formidine, & Sponsoris, & Oratoris partes, quantum per vires licuerit, sustinebo ego; vos Spectatores estote.

Fama est: plurimarum sectarum Philosophos, Athenas olim confluxisse, ac enatam per id tempus controversiam: quotusquisque mortalium esset felicissimus? dirimendam suscepisse. Erat, qui omnem hominis beatitudinem, esculentorum, ac poculenterum deliciis, & ubertate metretur, atque adeò firmè sibi persuaderet; unum alteri hac potissimum ratione præstare: quod saliaribus epulis assuetam famem

cumu-

cumulate expleat; quod frequen-
tibus poculis irritatam sitim ple-
nè, perfectèque restinguat. Alius
brutæ voluptatis illecebris primas
deferebat, aliis lubricæ cupidita-
tis, & effrænatæ libidinis igno-
rationem, inscientiam, fugam in-
cestis amoribus præferebat. Hic
rerum caducarum neglectum, &
tranquillam rusticari amantium vi-
tam; ille amplissimas possessiones,
ingentem auri, & argenti vim,
aliaque id genus commendabat.
Alter clarissimorum Magistratum
authoritatem, honorum insignia,
dignitatum titulos primo loco col-
locabat; alter ^{beb} communis vitæ
dulcitudinem celebrabat. Alii
alia, ad quæ, aut à natura ma-
gis propendere, aut firmiore opi-

natione trahi videbantur, sive
numero, sive intercapidine ad
Philosophicum Senatum refere-
bant. Arrepsit tandem, barba,
palliō, sapientiae famâ honora-
bilis, nonagenariō major, decre-
pitusque senex, *homo virtuti si-
millimus*, & per omnia ingenio
Diis (quod Paterculus Catoni
tribuit) quādū *hominibus propior;*
qui sententiam rogatus respon-
disse fertur: illum in hominibus
felicissimum sibi videri, qui fidum,
qui constantem Amicum nactus
esset. Ne quis tamen vestrūm
sit A. A. qui rem hanc splendidē
à nobis confictam autumet; ad
perpetuam eruditorum consensio-
nem, velut per transfennam ocu-
los defigite. Plutarcho enim,

Ami-

Amicus magis necessarius esse videtur, quam ignis, & aqua. Et si qua Cassiodoro fides: sinè Amico omnis cognatio est tædium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum: sinè ejus solatio vivere, est mori. Accedit Divinum oraculum, ex sapientissimi Salomonis tabulis, summa fide lectum: ambigitis? recita: *Amicus fidelis protectio fortis, qui autem inventit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri, & argenti, contra bonitatem fidei illius.* O dignam Salomone sententiam.

Attigisti felicitatis verticem
Sponse Sanctissime! adepta es vo-

torum summam Catharina ! dum
æternum amicitiæ vinculum ,
Sponsalium religione firmavisti .
Gaude , & exulta Virgo felicissi-
ma , quæ indissolubile fœdus , cum
Patris æterni Filio pepigisti ! læ-
tare amabilissime animarum Spon-
se , qui Regiam Virginem , pe-
renni necessitudine tibi sociâsti !
celebrent , per me licet , summis-
que laudibus ad cœlum efferant
vetusti Scriptores , mirificum , Da-
monem inter , & Pythiam amo-
rem , & à natis hominibus nus-
quam auditam , dilectionis mutuæ
consensionem ; quâ excitatus al-
ter , alterum Dionysii Tyrannide
capitis damnatum absolvere , &
vicarias securi cervices subjicere ,
tanta contentione , tanta alaci-
tate ,

tate gestiit: ut Tyrannus rei no-
vitate obstupefactus, barbarum
decretum resciderit, fatalem sen-
tentiam abrogaverit. Hæc ta-
men extraordinariæ dilectionis
vis longè vehementissima, cum
vitæ exitu finem fortita est: ve-
stræ autem necessitudinis, ô Spon-
si divinissimi! quando terminum,
quando metam consequemur?

Mactè virtute Catharina! ni-
sì mea ludit opinio, nisi o-
mnis divinationis facultas inter-
cidit; una omnium ætatis tuæ
Sponsarum, quâ divitiartum innu-
merabilitate, quâ liberorum fœ-
cunditate, quâ nova Regiæ di-
gnitatis accessione, felicitatem,
fortunam, conditionem longè,
multumque superâsti. Illius ete-
nim

nim amicitia faustè, prosperéque
perfrueris; qui arbitratu suo, o-
mnium jura Regnorum, & for-
tunæ bona partitur; illi desponsa
es, *qui habitare facit sterilem in*
domo Matrem filiorum lætantem;
ille Virginitatis tuæ decorem re-
spexit, qui inscribitur: *Rex re-*
gum, & Dominus dominantium.
Et cui, amabò te, alteri, à donorum
cœlestium crebritate acceptam re-
feres doctrinæ Christianæ uber-
tatem, quam ad utilitatem Sena-
tûs, Populique Alexandrini co-
piosè derivabis? cui quinquagin-
ta Philosophos, infinitam urba-
næ plebis multitudinem, Ducem
Porphyrium, Augustam Maximi-
ni Conjugem, quos omnes Ma-
ter longè fœcundissima, per

Evan-

Evangelium, in Christo Iesu genitura crederis? cui honoris divini magnificentiam, dum summa omnium consensione inter Indigetes censeberis? O altitudo divitiarum sapientiae, & scientiae Sponsi tui! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! ille quidem ut periculum faciat, quâ alacritate, datam semel fidem servare didiceris; gravissimis calamitatibus animi tui constantiam exerceri patietur: verum omnem victoriarum laudem, ad orationis tuae decus, & accretionem traducet. Jam diu invidæ stygis Tyrannis efferata, in acerbissima crudelitatis officina desudat: flamas alii nutriunt, quibus amburâre; alii

ver-

bera expedient, quibus cædâre: rotas alii instruunt, quibus minutatim discerpâre: alii gladios accidunt, quibus obtruncere. Bonô tamen esto animô Catharina! flammæ quippe, facem tibi præferent, ad arduum iter gloriæ suscipiendum: flagella, calcar, & stimulos addent ad progredendum: rotæ auratum currum instinent ad triumphandum: gladii in titulos assurgent, ad nominis tui gloriam celebrandum.

Quòd si Regiæ dignitatis eminentia, pretium aliquod amicitiæ conciliare potest: leviter illam perstringamus. Splendorem natalium, & illustre Catharinæ genus cognoscere cupitis? domô Regia, & sexcentis Majorum ima-

imaginibus cultâ , in lucem editam fuisse memorant. Patriam desideratis ? Alexandriam dico : ad reliquorum cognitionem , ex ipso nomine , facile perveneritis. Mores integerrimos ^{ad} expectatis ? vitæ probitatem , cum optimarum disciplinarum studiis ità coujunxit : *ut, non divitiis cum divite* (ità Catonem dilaudat Sallustius) *neque factione cum factioso ; sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocentia abstinentia certaverit ; esse inter bonos, quād videri elegerit.* In summa : èâ diligentia in virtutum exercitationes incubuit ; ut celebre illud elogium , quod pro more suo , magnificè Catoni affinxit Paterculus , jure optimo sibi vendicet :

dicet: *nunquam recte fecit*, ut facere videretur; sed quia aliter facere non potuit. Quod idem, ex lectissima formæ venustate Maximinus ipse collegit; cum ad Catharinæ elegantiam, modestiam, & incredibilem audaciam attonito similis hæsit. Unde, non inscitè dictum est ab Eumenio, ad Constantimum Magnum: *natura ipsa, magnis mentibus, domicilia magna persæpè metitur, & ex vultu hominis, decoréque membrorum colligi potest, quantus cælestis Spiritus intraverit habitator.*

Sed dies me citius, & ipsa loquendi facultas destitueret; quam nobiles Catharinæ dotes, vel strictim percurserem. Illud tamen præterire nullô modô possum; quod

quod unico veri Numinis Filio,
per quem facta sunt omnia, & si-
nè quo factum est nihil: quod fa-
ctum est; qui cælos præparavit,
certaque lege, & gyro vallavit
abyssum; qui æthera firmavit sur-
sum, & libravit fontes aquarum;
qui circumdedit mari terminum
suum, & legem posuit aquis, ne
transirent fines suos; qui appen-
dit fundamenta terræ, & super
pennas ventorum volavit; quod,
inquam, inserto in digitum an-
nulô, datæ, & acceptæ fidei præ-
de, Servatori nostro Christo
Jesu fuerit despensa. Hæc sum-
ma virtutis, summa dignitatis,
summa nobilitatis unius Catha-
rinæ est: reliqua plurimis aliis
communia. Ut enim sapienter

O ad-

advertisit Seneca: *non facit nobilem, atrium plenum fumosis imaginibus.* Nemo in nostram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, nostrum est. *Animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione, supra conditionem licet surgere.* Assurge, assurge supra humanæ conditionis sortem, Virgo nobilissima, assurge! jam enim Divinitate dotata, jam solemnī Sacramento Dei Filio devota, jam Sponsa Creatoris tui audire cœpisti.

Sed finis sit, & eodem revertat Oratio, unde principium derivaverat. Itaque hilaritatis, ac lætitiae plenum animum à vobis desidero: A.A. vos mecum Divinissimorum Sponsorum felicitati-

citatem, nihil sacras adventus ferias, nihil Patrum Tridentinorum jussa veriti, summo plausu, faustis acclamationibus, votis calentibus prosequi, commendare, anniversaria celebritate venerari studete. Si enim ad excitandam Romani populi lætitiam, satis potuit decerptus ex delubro solis ignis publicus: tam grande amoris incendium, quod cœlestibus solis justitiae ardoribus, in Catharinae pectore olim excitatum, præcordia nostra hodie corripuit; ad unum omnes cœlesti completere gaudio, hilaritate cumulare, perfundere jucunditate, in plausus excitare jure suo debet.

100
101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
999
1000

**DE NEGLECTU
Literarum Humaniorum,
ORATIO VIII.**

Habita Szegedini,
In instauratione Studiorum,
VI. Kal. Nov. A. MDCCXXXIV.

EPISTOLA
AD ORATIONEM VIII.

Quamvis bene multa studiorum
impedimenta in memoriam
mibi veniebant; quia tamen ple-
raque validiora esse videbantur,
quād, ut à nobis veteri statione
deturbari possent: leviora hæc,
passimque, ac impunè nocentia
colligere visum fuit. Pulcherri-
ma enim studiorum subsidia, qui-
bus omnem Italiam, Hispaniam,
Galliam non affluere solum, sed
& abundare novimus; Hungariæ
nostræ barbara Turcarum ferita-
te, ac gentium finitimarum in-
cursionibus erepta, etiamnum
deploramus. Felicissimæ illæ re-
giones, lectissimorum Scriptorum

voluminibus redundant: nobis luculentiorum Authorum codices vix de nomine cogniti sunt. Immensis literarum thesauris, & publico civium usui excitatis bibliothecarum molibus multò vastissimis, exteræ fruuntur Provinciæ: nostræ, in publica armamentaria desierunt. Decreta ubique gentium eruditis præmia, quibus ad juventutem instituendam excitentur: hic, Saracenorum Tyrannis & inhumanitas crudelissima, usque adeò tenuia stipendia reliqua fecit: ut vix vitæ cum honestate tolerandæ idonea habeantur. Accedit non solum nationum varietas, atque adeò adversa partium studia; verùm etiam Sectarum colluvio fædissima: & quod summa

infelicitatis est, in ipsa patria, sæpenumerò de salute perinde periclitamur, atque apud infensissimos, juratosque nominis Christiani hostes ageremus. Hoc eodem anno Scholasticō, ad sex malè contentorum millia, nefarium scilicet perditissimorum hominum, vel satius latronum exercitum cervicibus nostris imminere vidimus. Boni superi! quanta omnium trepidatio? qui metus? qui tumultus? quoties ad portas, quoties ad mænia, à terribili conjuratorum incursione defendenda concursus facti? singulari tamen Deorum concessu fit: ut inter tot bellorum motus, frequens juventus ad Scholas confluat, cuius gratiâ, præsens divulgatur oratio.

DE

D E N E G L E C T U

Literarum Humaniorum,

O R A T I O VIII.

CUM diebus superioribus, ab ultimis Hungariæ aquilonaris finibus, in Regiam hanc inferioris Pannoniæ civitatem, eō animō commigrâssem; ut delatum mihi eloquentiæ munus, ad diem auspicarer: tota repente urbe hic sermo percrebuit: homini novo, cui non amicitia, non consuetudo, non usus intercederet, cum Cive Szegediensi, adiutum ad locum istum patefactum esse. Res hæc, ut primùm certis authoribus ad aures nostras venit; animo sollicitiore cogitare cœpi: quid potissimum hac aug-

rali die, ad dicendum eligerem? quô optimarum artium studiis utiliter proludere, & expectationi vestræ Patres Conscripti responderem possem? Quòd enim amplissimam eloquentiæ provinciam dare mihi cogitaveritis; humanitatis vestræ fuit: quòd autem periculum facere velitis, quantum in Oratoria facultate præstare videar, prudentiæ. Quamobrem, vobis primùm, cùm pro adolescentibus istis, immortales ago gratias, quorum causâ nulli labori, nullis sumptibus parcendum existimatis; tum pro ipsa literarum dignitate, quam incredibili diligentia, & pietate tuemini: deinde à Deo Opt. Max. id unum precor: ut vos in piissima hac

coll-

contentione quām diutissimē florere; pace, opibus, urbana plebe, Optimatibus augeri in dies concedat; ut denique ex libero-rum vestrorum studiis fructum uberem, & solatium capiatis, noménque vestrum ubique celebretur. Ad officium meum redeo P. C. cuius curam summa solitudine mihi nuperrimē commendāstis: qui utinam is essem, cui integrum foret, gravissimam Oratoris personam sustinere! verū tamen siquid est in me ingenii, siquid diuturna exercitatio-ne consecutus sum; illud omne apud juventutem literariam collocaturum me sancte policeor. Ne proinde sit aliquid, quod conatibus meis moram, & impedi-men-

mentum inferat; hac ipsa luce, quâ bonis auspiciis, literarum studia redintegrantur, abusus aliquot in publico proponam, & causas longè perniciosissimas conspectui omnium subjiciam, quibus humaniorum disciplinarum cursus, intercipi plerumque solet. Quo in genere, licebit mihi paulò audaciōri esse: vel quòd hospes, & advena neminem vestrū juvenes lectissimi propriùs cognitum habeam; atque adeò nullius mores insectandi gratiâ quicquam dicturus videri possim: vel quòd, in clarissimorum civium favore, qui Oratoriæ libertati derogari nihil sustinent, plurimùm confidam.

Animadverto autem cum tripli hominum genere, mihi negotium fore: sunt enim, qui invitati, & hoc solum, ut Genitorum animadversionem, ut rei familiaris curam subterfugiant, Scholas adeunt: sunt qui sibi falso persuadent, primam eloquentiae laudem in eo sitam esse, quod minutis quibusdam interrogati unculis alios exagitare didicerint: sunt demum, quibus divina artis oratoriæ scientia, in una orationum fabrica occupari videtur, idque unum posse, quod inutiliter declamitare doceat, & nihil præterea. Quare, ut tria haec, post hominum memoriam, literariæ juventuti perniciosissima existimare, & hoc pacto rem literariam

rariam plurimū promovere pos-
sitis ; oro vos , atque obsecro at-
tentè , bonāque cum venia verba
mea audiatis.

Ego certè , quoties deploran-
dam bonarum artium jacturam
mecum ipse reproto , & quām fce-
dam discessiōnem , ab aurea Ro-
manæ linguæ proprietate feceri-
mus ; recogito : quoties ad juven-
tutis literariæ languorem , & in
ediscendis , in pervolutandis me-
liorum Scriptorum voluminibus
tarditatem , & fastidium attendo ;
vehementissimè mirari debeo :
quòd sermonis latini usus , in tan-
ta proficere studentium paucitate ,
penitus non intercidat . Ecquis
enim verò est , ex omni peregrin-
næ , domesticæque juventutis fre-
quen-

quentia, qui eo ipso tempore,
quô potissimum ex M. Tullii par-
titionibus, reconditam artis do-
ctrinam, arrectis auribus, hiante
ore, immotis superciliis, oculis
in Præceptorem defixis excipit;
si invitus Scholas accesserit; aliud
ab his, quæ ad formandum Ora-
torem afferuntur, mente non a-
gitet? abessent autem personati-
isti literarum alumni; & benigni-
tate Numinis, is oratoriæ facul-
tatis nitor, & splendor reluceret:
quem apud clarissimos Romanæ
facundiæ Principes Ciceronem,
Hortensium, Crassum, Catonem,
Sulpitium, Brutum, Calidium,
Cœlium Calvum, & proximum
Ciceroni Cæsarem Roma ipsa ad-
mirata est. Illa eloquentiæ ma-
jestas

jestas redderetur; quam immortales viri Franciscus Petrarcha, Bembus, Palearius, Muretus, Manutius, Sadoletus, complurésque alii, velut ab inferis ad vitam revocarunt. Sed, Deum immortalem! quam longō intervallō, à Tulliana contentionē distamus; qui non solum domestica consuetudine (ut perperam suspicantur plurimi) sed multis literis & iis quidem reconditis, & exquisitis, id consecutus est: ut eum Fabius *cælestem in dicendo virum* appelleat? quantum ab eruditissimorum hominum, inaudita discendi cupiditate defecimus, descivimus, defleximus, qui jacentem linguæ latinæ gloriam clarissimō Medicorum exemplō excitati,

tati, restituere conati sunt? sententias illi, & omnes periodorum partes, tam exquisita lectissimarum vocum varietate implebant, ut ad auream Augusti ætatem proximè accedere viderentur: nos hæc aut leviter perstrin-gimus; aut lutulentis, strigosis, ac de trivio sumptis vocabulis comprehensiones oneramus: illi antelucanas fabrorum vigilias le-titando præveniebant; nos in plenam diem plumeis culcitris indormimus: nullam illi temporis portionem sinè doctrinæ censu effugere patiebantur; nos alternis ut minimum diebus, ferias habemus. Et utinam! iis ipsis, quas lectioni deputavimus; lusibus, spectaculis, meridiationi non indulgeamus! P Quia

Quia verò tristis hæc bona-
rum artium contagio, liberalia,
atque ad literarum culturam, ab
ipsa natura facta ingenia rariùs
occupat, illud mihi ut cognitu
difficilius, ità certiori jaclura ca-
pitalius malum videtur: quòd po-
tior pars adventitiæ juventutis,
quæ ex omni vicinia, in publica
humaniorum literarum gymnasia,
magnô numerô confluit, & ad
hanc Regiam Urbem (nisi mea
me fallit opinio) frequentissima
confluxit; immatura quadam ap-
petitione, ad paternas, mater-
násque ædes quotidie aspiret.
Siquidem vix alteram festam
diem, alteri adjungi sentiunt; &
hoccine studium! ad quodcunque
lyceum paulò nobilius oculos con-
ver-

vertamus , complures discipulo-
rum manipulos , ad matricularum
lenocinia simiorum more festi-
nare, properare videbimus. Quòd
utinam intempestiva hæc , & su-
pervacanea Parentum dilectio ,
primis patrimonum , & matrimo-
rum annis definiretur ! conceden-
dum nonnihil foret molliori pue-
rulorum ætatulæ : at verò , quo
inficiationis genere utar , ut pro-
brum hoc , ab eorum nomine a-
vertam , qui teneros pubertatis
annos exceesserunt ? qui nuces ,
qui crepundia , cum primis rudi-
mentorum appendicibus jam o-
lim rejecerunt ? qui nunquam ad
convicia , cæterùm injuriosissima
perinde excandescunt , atque dum
indecoro puerorum vocabulo af-

ficiuntur? Ut autem nihil amplius
desiderari possit, quod ad acer-
bum exitium literarum faciat; li-
centiorem hanc ad lares paternos
itandi consuetudinem , illi cum-
primis adolescentes frequentant:
à quibus collapsum familiæ decus
instauratum iri creduli conjicimus,
imò falsè suspicamur. O præ-
posteram studiis vacandi ratio-
nem ! ô deplorandam acerrimo-
rum ingeniorum indiligentiam !
Rem omnem quemadmodùm u-
suvenire consueverit, paucis ac-
cipite. Circiter Idus Novembris,
renovatis studiorum exercitatio-
nibus, ad maternum foculum,
atque ad muliebre pensum , & li-
num, pro vigiliis excubare assue-
ti, ægrè admodùm Kal. Decemb.

Scho-

Scholas adeunt, non sinè lachry-
mis à colu, à foco divulsi. Quo-
usque verò Scholarum limen at-
terent? vix primis labris epigram-
matum sales, Satyrarum fel, &
acetum degustabunt; vix levi o-
culo institutionum Rheticarum
titulos percurrent; ecce tibi! ad
XII. Kal. Jan. pro deliciolis, pro
matercularum blandimentis rever-
tent. Auspicata nati Servatoris
celebritas præterit, quâ immor-
tale Numen mortalitatem induit;
immensa Creatoris majestas, ter-
minis circumscribi se se passa est:
elabitur Dei infantis circumcisio
cruenta memoria: isti tamen, ni-
sì festam diem, quâ sacra Mago-
rum pietas, stellâ duce, præsepi-
bus vagientem JESULUM aurô,

ture, & myrrhâ honoravit; maternis affectibus consecrarent: actum se egisse existimant, nihilque minus quam literas recordantur. Suspirant interim, atque ingemiscunt rei literariæ administri, & Scholas nobilioribus alumnis orbatas intuiti, animo concidunt: quis enim nudis parietibus eloquentiæ arcana communicet? neque insigniores regulas explana-re pergunto: atque ita infami consuetudine, catulorum ritu, nutriculis adulandi, & infausto abusu ad patrios penates commigrandi, irreparabilis jactura sumptuum, temporis, doctrinæ, ætatis in omnem juventutem literariam propagatur. Superi boni! quo usque pseudomeni isti optimis Genitoribus

ribus imponent? quousque specioso literatorum nomine, in cupiditates, in relaxationes animi abutentur? quousque pulcherissimum juventutis florem intempestivis matricularum favoribus turpissimè decoquent? utinam! aut conatum omnem, omnem amorem ad literarum studia transferrent, unde inæstimabile operæ pretium lucrifacerent: aut Scholis valere jussis, in maternis affectibus, in effeminate otio, turpis simam servirent servitutem.

Sed plura fortassis de Scholarum desertoribus, plura de negligentibus literarum tractatione disputavimus, quam animo conceperamus: ad detegenda illorum consilia veniamus, qui pulcherri-

marum quidem, verùm multùm, longéque discrepantium facultatum Rhetoricæ, ac Dialecticæ vi-ces permutant, ordinem ante-vertunt. Sive enim declinandi laboris causâ, quem meliores disciplinæ assiduum exigunt: sive ex infirmitate memoriae, ac inge-nii tarditate: sive ex abjectione animi accidere consueverit; ac-cidit tamen, summâ cum eloquen-tiæ injuriâ, ac oratoriæ artis con-temptione: ut neglectâ divinissi-mâ illâ, ornatè, graviter, copio-sè de unaquaque rerum dicendi, & scribendi ratione; ad latumias, ad triremes, ad carnificinam mi-sera juventus damnetur. Nam, quid interest: utrum in eruendo marmore, ac ex terræ visceribus

in lucem proferendo lapide vi-
res conficias; an ex Philosophi-
carum difficultatum profundo ad-
vocatas quæstiones, infelix elo-
quentiæ tyro immaturô ingeniô
dirimere impellaris? quid inter-
cedit: utrum catenatus remex
triremibus deservias: an de uno
Rheticæ vocabulo mille inter-
rogatiunculas comminisci, ac al-
terum tantum memoriae mandare
jubearis? quæ major crudelitatis
officina cogitari potest: quam ne
à limine quidem salutatis Diale-
cticæ institutis, tenella adolescen-
tulorum ingenia, ad rigidos, a-
speros, & scrupulosos argumen-
tationum modos, ad contorta,
acuta, & confusa sophismata, ad
fallaces, & circumretitas conclu-

siunculas, vi, objurgatione, me-
tu, castigationibus inducere? co-
gere? incitare? Isti tamen, heu
quām malē habetur eloquentia!
in honore, in veneratione homi-
num primas occupant, dūmque
popularibus acclamationibus effe-
runtur; si casu unum aliquem ora-
torem offendenterint, qui quidem
de rebus omnibus plenē, variè,
copioséque possit dicere, arcanos
tamen Philosophorum (ut vo-
cant) terminos, citra intellectio-
nem recitare nesciat; impuden-
tissimē eundem traducunt. Ut-
nam verò mihi satīs facultatis ef-
set ad prosequendum! vos tamen
quæso; ut adhuc me attentè au-
dīstis, item quæ reliqua sunt au-
diatis. Ipse ego, proh Deum

im-

immortalem! cur in tanta inge-
niorum fraudatione, ac ruina in-
terdum connivetis? ipse ego am-
bitiosa eminendi, & apparendi li-
bidine, cœcaque coævorum lo-
quacitatem æmulandi cupiditate
incensus, meliorem adolescentiæ
ætatem, in congregandis fallaciis,
& conquirendis vaferrimis ratio-
cationibus infeliciter attenuavi.
Igitur illud unum in deliciis, in a-
moribus habebamus: multa de
Rheticæ definitione, multa de
docentis, ac utentis habitibus,
multa de subsidiis, judicio, par-
tibus, multa de locorum, tropo-
rum, figurarum numero, disre-
pantia, ordine in utramque par-
tem disputare posse. O! quoties,
velut pro aris, & focus pugnare-
mus,

mus, de quæstionis, quam finitam dicunt, ad indeterminatam reductionem, tanto conatu, fervore tanto disputatum est; ut forum omne ad spectaculum effundetur? ô! quoties horas non paucas jurgare, ac vociferari libuit; cum alter alterum vix partem decimam intelligeret? ô! quoties, anhelanti pectore, rauca voce, collapsis animi, & corporis viribus litigiosa vociferatio damnableatur? plus tamen potuit popularis auræ favor; & plena periculi tela, quæ pridie texta fuerat, postridie retexebatur. Tandem confecto humaniorum studiorum cursu, quod adhuc sub tutoribus essemus, annui laboris periculum facere, ac acerbum materteræ fu-

funus, quam non ita pridem extulerant, funebri dictione illustrare jubemur: paremus. Ædepol! neque principium, neque exitum invenire licuit; quamvis contentione summa multum, diuque niteremur, Obversabatur quidem animo, celebris illa, & à nobis inter magis reconditas solicite custodita disceptatio: utrum orationem senis, an quaternis partibus constare oporteat? quâ tamen voculâ, vel unam illarum auspicari possemus; nulla arte assequebamur. Hic primum ego futilem, vanam, mendasam consuetudinem, ex Philosophorum libris quæstiunculas devocandi, causari; tum pulcherrimam juventutis ætatem sine operæ pretio exa-

exactam deplorare; deinde in-
fructuosum studiorum modum di-
ris omnibus devovere; ad extre-
mum, meliorum Scriptorum li-
bros, ex omni vicinia, in subsi-
dium advocare. Et ecce! dum
hæc mecum reproto, dum vete-
rum authorum codicibus inhio;
in aureum hunc Tullii de orat.
locum incidi: *quid est, aut tam*
admirabile, quād ex infinita mul-
titudine existere unum, qui id,
quod omnibus naturā sit datum,
vel solus, vel cum paucis facere
possit? aut tam jucundum cogni-
tu, atque auditu, quād sapienti-
bus sententiis, gravibūsque ver-
bis ornata oratio, & perpolita?
aut tam potens, tamque magnifi-
cum, quād populi motus, judi-
cum

cum religiones, Senatus gravitatem unius oratione converti? ex hoc tempore damnosam, & ab eloquentiæ dignitate alienam, Dialecticorum more litigandi consuetudinem, magis etiam fastidire cœpi, quam fuerim antea consecutus. Habeat proinde suas sibi rixas Dialectica, suis se captionibus tueatur, suis defendat argutiis; hoc unum Oratoris munus esto: ut *quæcunque res inciderit, quæ sit dictione explicanda, prudenter, composite, ornatè, & memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate.*

Nolo tamen pergravibus de causis, hac in parte multus vide ri: impudentissimam ignavorum, & somniculosorum hominum audaciam,

daciam, qui de oratoriæ majestatis amplitudine invidiosè criminantur, paulò licentiùs insectabor. Nihil est, me hercule! nihil est, à capitalibus literarum hostibus excogitatum pernicioſius; nihil est, quod ingenuo homini, & optimarum facultatum regulis, ad omnem humanitatis rationem instructo, ac perpolito, vehementiùs bilem commoveat: quām projecta, præceps, effrænata quorundam existimatio, qui ad contegendam sermonis latini barbariem, cui, quòd à pueris assvererint, nuncium mittere nullô modō volunt: divinam, & nullis terminis circumscriptam eloquentiæ vim, dignitatem, splendorem, unâ, eadémque astrictissima

ma orationes habendi regione
definiunt. Nam proinde nihil in
rebus sacris, nihil in foro, nihil
in curia, nihil belli, nihil domi
agere putide calumniantur. In-
ficiari equidem nec volo, sed ne-
que possum, orandi potestati,
apud artem nostram, nullum o-
pus in comparationem venire:
illius tamen jurisdictionis infini-
tionem, in unam benedicendi
provinciam contrahere, quis be-
ne sanus audeat? hic certe vul-
gari proverbio locus esse debet:
ingenuas artes ab ignaris solum
malè haber. Cūm enim argutu-
li humaniorum scientiarum asse-
ctatores clare intelligent, oscitan-
tibus, quique continentem op-
ram, intolerabilem esse autumant,

Q

eo

eo felicitatis pervenire non lice-
re, ut citra sudoris copiam, ap-
positè dicant ad persuadendum:
franguntur animo, ac interclu-
sum sibi aditum ad eloquentiae fa-
stigium suspicantur. Animadver-
tant, quæso, inertissimi homines,
quotcunque se à pulcherrimo elo-
quentiae studio alienant, quotcun-
que inimicantur, animadvertisant;
quàm fœdè, quàm turpiter sibi
met ipsis imponant. Habeat per-
facetam fabellarum seriem, & in-
finitam Deorum religionem Poë-
tria; habeat artificem temporum,
pedum, metrorum dimensionem;
habeat solutam, & liberam com-
miniscendi licentiam; nisi studio-
sum verborum delectum, tropo-
rum, schematumque lumina, in-
genio-

geniosæ fontes effictionis, mun-
dissimum latini sermonis aurum
ab eloquentia mutuetur: vilis, ab-
jecta, humilis, suóque, quod ex-
cogitavit chao involuta jacebit.
Magna illa sapientiæ Numinæ:
Platones, Socrates, Protagoræ,
Democriti, Heracliti, Aristoteles,
aliisque quām plurimi, barbâ,
pallio, eruditionis opinione, ut
qui maximè venerandi, ab infe-
ris ad vitæ usuram revocentur; si
ad difficillimas artis, & naturæ
quæstiones extricandas, ità jeju-
nam, strigosam, & spiniferam
orationem adduxerint, quam vix
Athenienses, vix Æoles, vix
Dores intelligant: quem legatio-
nis fructum, quem quæstum bo-
ni nominis in græcostasi lucrifa-

Q 2

cient?

cient? Plato certè grajæ eloquentiæ munditiâ id assecutus est; ut cognomento Divinus appelletur. Tabularum XII. authoritatem, leges Julias de ambitu, de maiestate, de peculatu, residuis, sacrilegio, vi, annona, manumisfione, & numerosissimas hujus generis sanctiones, quas clarissimus Juris-Consultus Janus Vincentius Gravina, summa fide, & industriâ collegit, opùsque omne Clementi XI. Pont. Opt. Max. inscrisit: hæc, inquam, universa, pro causæ tuæ patrocinio, purgatione sceleris, absolutione culpæ, adjudicanda hæreditate, adoptione, emptione, in subsidium advoca; si lutulentum dicendi genus attuleris, ad cuius intel-

intelligentiam vix ariolatione per-
veniri possit: putásne pedarios in
sententiam non satis cognitam ra-
ptim ituros? judicio populi, Quiri-
tum, Senatūs damnatus causâ de-
turbabere. Duodena signa zodia-
ci; cœli conversionem; ortus, obi-
tus, motus syderum; septem plane-
tarum concursiones; aspectus, op-
positiones; solis deliquia; lunæ labo-
res, accretionem, diminutionem;
varietates temporum; ventorum
flamina; agrorum fertilitatem; vi-
netorum sterilitatem ex omni A-
strologiæ disciplina, accuratè, fa-
nè, & diligenter, eo ipso ordine,
quô contingere possunt publicæ
utilitati propone; nisi tamen ea
omnia plano, aperto, dilucido
sermone etuleris: nemo nec ho-

mo doctus , nec semidoctus tecum sensurus est ; verùm eruditum quemque à lectione divinationis tuæ deterrebis . Divina tandem S. C. & quidquid ad fidei integritatem , ad Numinis cultum , ad Sacerdotii dignitatem , denique quidquid ad sacrofanea religionis capita , sacrificationes , publica ministratorum servitia facere videtur ; ut clare , ut distinctè , ut ad plebeorum captum proponatur , quàm expedita dicendi facultate opus omnino sit ; Chrysostomus , Ambrosius , Hieronymus , Augustinus loquatur . Animadvertant ergo , eloquentiæ lumine obscures , & difficiles severiorum disciplinarum sensus illustrari ; reconditæ sapientiæ

tiæ arcanis instructa capita, explanari. Animadvertant, eloquentiæ ductu, omnium ætatum memoriâ, quâm plurimos honoribus auctos: & in his Socratem sordida, vili, tenui obstetricice genitum; Cæsarem humili loco, scilicet in pistrino natum; Demosthenem in fabri officina suscep-
tum; M. Tullium novi Arpinatis nomine contumeliosè appellatum: animadvertant, tempestate nostra, homines novos, sustinendis R. P. dignitatibus admotos, cum veteribus illis gloriâ, honore, fascibus, & securibus, & di-
vitiis concertare. Ità quippe præpotentis Dei arbitratu comparatum est: ut majestatem Divinis, humanisque disciplinis debitam,

ut claritudinem generis, ut legum, rogationum, plebiscitorum, Senatus-Consultorum, judiciorum demum omnium æquitatem eloquentia moderetur.

Demus nihilominus ignavis adolescentibus diem, defensionis locum demus; nihil quicquam aliud afferent, quô desidia, quô insipientiae ignominiam ab se removeant: quam si humili loco fuerint, per rei familiaris angustias, interclusum ad dignitates aditum sibi esse; si verò ex Equestris, aut Patritio ordine genus duxerint: locupletissimam hæreditatem, ab optimis Genitoribus comparatam, ad vitam bene, & beatè exigendam affatim servitram. O leves, & ultimæ fecis ani-

animæ! sanè quàm dignissimæ,
ut ex veterum Philosophorum
sententia in brutas pecudes trans-
ferantur! Præter enim quàm quòd
bene multos, in singulos dies
videmus, quibus literarum ope
ad amplissimas facultates, &
prima Judicium subsellia ascende-
re contigit: quòd patrimonia cæ-
terùm copiosissima, ut primum
ea rudes, & ignari adolescentes
adiverint, nullô negotiô dissi-
pent: si in hominum eruditorum
cctu accubuerint, si in curia ho-
noris causâ confederint, si ad jus
vocati venerint, si epistolam, si
chirographi cautionem, si obli-
gationem versuræ ad diem faci-
endæ, si redditæ mancipibus de-
cumæ testificationem scribere,

concipere, signare debuerint: negligentiae, & ignorationis suæ pœnas dabunt acerbissimas. Boni Superi! quæ in sententiis caligo? quæ in coniunctione asperitas? quæ in omni lucubratione barbaries enascetur? horret animus commeminisse.

Quibus rebus expositis, satīs docuisse videor: neque locuple-tissimum literarum censum osci-tantibus in ora delabi consueuisse: neque optimarū disciplinarum dignitatem, ludicra, importuna, nulliusque frugi, nullius numeri disputationum frequentatione pa-rari: neque divinam eloquentiæ facultatem, una orationes haben-di regione concludi; sed verò per omnes artium omnium disci-

plinas

plinas evagari, civitatibus praesesse,
populis jura dicere, pacem com-
ponere, honores decernere, sa-
cra demum, & profana guber-
nare. Tolle hoc vinculum, quô
finitimarum gentium tranquilli-
tas, salus, communio continetur:
intestinis urbes dissidiis, nefariis
campos latrociniis, barbaris pirata-
rum classibus maria replevisti: vasti-
tatem agris, faces Divorum sacra-
riis, extremam rebus omnibus ca-
lamitatem attulisti. Romani quip-
pe sermonis commerciô, luctuo-
sissimam jacturam, quam in lin-
guarum perturbatione, apud tur-
ris Babylonicae fabricam miseri
mortales accepimus; magnam
partem reparamus. Hanc pro-
inde juvenes lectissimi, hanc, in-
quam,

quam, devocatam cœlō, sapienter, apertè, & ad rem, de qua agitur congruenter dicendi rationem annua contentionē excolatis. Hi ipsi Viri consultissimi, qui vestri profectūs causā, prolixiorem dissertationem istam incredibili patientia exceperunt, ob oculos vobis versentur: horum in literas amori, diligentiae, liberalitati respondere, pro virili, studete. Illud denique scitote: temporibus his difficillimis, ad opes, ad dignitates, ad Majorum gloriam, hanc unam patere semitam; reliqua ad unum omnia ab adventitiis occupata, extrariis, peregrinis, alienigenis ferè conferri, tribui, donari.

DE DIVO STEPHANO,

Primo Hungarorum Rege,

ORATIO IX.

Habita Nitriæ,

In Collegio Schol. Piar.

XIII. Kal. Sept. An. MDCCXXXVII.

EPISTOLA AD ORATIONEM IX.

SI voluntati humanæ , felices rerum exitus responderent ; ad immortalium Divorum beatitudinem quād proximè accederemus . Quia verò plurima sunt , quæ conatibus nostris vehementissimè adversantur ; sæpè numerò oleum (quod ajunt) & operam deperdimus . Iste enim temporum acerbitate primos suos cæptus infectos relinquere ; ille æmolorum invidiā subire , necessariorum offendiculam incurrere , valetudinis jaæturā , negotiorum mole , & mille interpellationibus alio se avocari ingemiscit . Mibi certè , cùm distinctionem hanc , sub ipsum sacræ Theo-

Theologiæ finem appararem; & studiorum diversa ratio, & temporis angustiæ, & affectæ valedudinis incommoda plurimum offendere. Nam, cùm non ita pridem, de Medicorum consilio, à gravioris cæli colonia decessisset; jāmque ad leniorem auram translatus meliusculè me haberem; animadverterem autem, pro studiorum meorum complemento, nihil quicquam aliud desiderari; quād ut tractatum arcanis, ac maximè reconditis difficultatibus plenissimum, ediscendum recipiam, quō augustissima Sacræ Triados mysteria acutè, subtiliterque disputantur: fractas corporis, & animi vires, ut licuit, ad intermissas Divinarum rerum confide-

rantias revocavi. Arduum hunc laborem nondum satis firmata valetudine aggressus, vixdum ad exitum perduxī; ecce tibi! à diuturna contemplatione, ad dicendum repente abducor. Cùm itaque universæ Theologiæ supremam manum admovere, quād primū cuperem, & ad illum modum festinare contendere; quōd lapis, à montis vertice deturbatus, jam, jámque centro proximus, cursum accelerat: vix memet recolligere potui, & animum cœlestium cognitione, & afflictæ longiori tempore salute corporis, ab humanioribus disciplinis desvæfactum, ad expeditam dicendi rationem revocare.

DE DIVO STEPHANO
PRIMO REGE HUNGARORUM

O R A T I O . IX.

NEmo unus, de immortali nominis memoria, usque adeò male sibi consuluit; nemo repentinò apud frequentissimum clarissimorum Virorum Senatum pejus audiit; nemo conceptam de literis suis eximiam opinionem luctuosius extinxisse visus est; quam mihi, inauspicatò ad dicendum venienti contigerit, omnem literaturæ meæ spem, gloriolam, expectationem, hac ipsa luce, in apertum discrimin conthicere: quâ ad recolenda Sancti Regis Stephani immortalia merita, minus comparatus accedo. Neque enim

R

ità

itâ peregrinus sum , ut justam re-
prehensionem non verear ; si ea
omnia , quæ pro publica tranquil-
litate sapientissimè , pro Magistra-
tuum æquitate religiosissimè , pro
fidei majestate , amplitudine , in-
tegritate sanctissimè decrevit Ste-
phanus : aut summatim recensere ,
aut in plura laudationis capita di-
stribuere , judicii mei arbitratu
temerè auderem . Nunc autem ,
quando imperiô vestrô , & autho-
ritate datam mihi dicendi pro-
vinciam suscepi ; tantum abest ,
ut notam quampiam nomini meo
inustum iri reformidem ; ut etiam ,
sive argumenti magnitudo , sive
inusitatus amplissimorum homi-
num concursus , sive mea adver-
sus Regem Sanctissimum religio ,
&

& observantia spectetur: officii munus deferere nullô modô possum. Sentio quippe clarissimo veræ fidei lumine, ignorationis meæ tenebras discuti; sentio præsentia tot eruditissimorum hominum vires animi mei, & corporis reparari; sentio ad celebrandam Divi Stephani solicitudinem, quam in propaganda religione præsetulit longè maximam, eloquentiam meam excitari. In summa: cùm uni Stephano in acceptis referam, licuisse mihi perniciosissimum hæreseos virus revomere, quod materno cum late suxeram: licuisse, ad Romanæ Ecclesiæ maternum sinum regredi, à qua Majorum inconstantiâ discessionem feceram: non so-

lum sentio, sed & apertissimè ex-
terior: flagrantissimam dilatandæ
fidei cupiditatem, quâ vivus ar-
debat Stephanus, neque fato-
rum acerbitate, neque deceden-
di necessitate, neque diurnita-
te temporum intepuisse.

Quapropter Romanæ fidei ma-
gnificentiam, firmitudinem, cul-
tionem, jam usque à primis Re-
gni Apostolici elementis, ad hanc
usque ætatem sanctè productam:
aut certè facerrimis veri Numinis
pulvinaribus, quæ per summum
sacrilegium fidelibus erepta hære-
sis profanaverat; exturbatis fu-
nestissimis Europæ facibus Lu-
therô, Zwingliô, Calvinô in in-
tegrum restitutam, nulli alteri à
Sanctissimo Rege Stephano debe-
ri,

ri, quanta maxima licuerit accus-
ratione suadere, ego admittar;
vos, pro pietatis fervore, quō
Stephanum Hungarorum Apo-
stolum colere, precari, venerari
soletis, etiam persuaderi vobis si-
nitote.

Priūs tamen, quām ad ipsa
rationum momenta deflectat ora-
tio; liceat mihi, inde ab adole-
scētia, ad ultimos exactæ sene-
cūtis canos, Divi Stephani vi-
tam cursim, & raptim enarrāsse.
Ut primū eos pueritiæ annos
ingressus est Stephanus, quibus
idonei esse incipimus ad prima li-
terarum fundamenta ediscenda,
sub disciplina Sanctissimi Pragen-
sium Antistitis Adalberti, tantum
in optimarum artium studio, in

morum integerrimorum cultura, in virtutum exercitatione proficit; ut Geisâ Patre optimo vitâ functô, summa omnium consensione, Magnus Hungarorum Dux fuerit renunciatus. Vix autem ad supremum dignitatis fastigium electus est; nihil antiquius habuit, quam pacem cum finitimis Gentibus componere: accersitis ex omni orbe Christiano Viris religiosissimis, atrox idolorum cultui bellum inferre: frequentes Sacerdotum colonias in Pannioniam deducere: Deorum immortaliū delubra à fundamentis excitare: ditionem suam in undecim Diæceses partiri, & totidem Episcopis concredere: pertinacium subditorum animos, legum salu-

saluberrimarum auctoritate , ab erroribus revocare: ita denique sacrorum Christianorum sanctimoniam, & cultum promovere; ut nihil ultra desiderari à quoquam posset. Tam secundis rerum successibus Romanus Pontifex recreatus, non solum ad unum omnia fixa, & rata esse voluit, quæ Stephanus ad religiosis incrementum constituerat; verum etiam de divinæ potestatis juribus liberalissimè cum eodem communicavit: Regem salutavit Apostolicum , suásque vi-ces in ordinandis Ecclesiis , & illi, & legitimis in corona Successoribus concredidit. Stephanus autem , quò gratitudinem suam testatam faceret; tam Sanctum Pon-

tificum nomen esse voluit; ut
præterquam quod regnum inte-
grum Sedi Apostolicæ devovit;
nullum etiam Senatus-Consultum
citra Antistitum confessionem,
vim legis habere posse decreve-
rit. Quibus studiis tantum pro-
fecit; ut licet gens olim aspera,
& barbara, iterum, ac tertium
ad Majorum superstitionem aspi-
raverit: toties tamen innovatis
Divi Regis sanctionibus, ad obse-
quium veræ fidei fuerit revocata.
Exemplo sit Andreæ hujus nomi-
nis primi decretum Regium, quod
plebis tumultuantis seditio com-
pressa, quod superstitione impietas
extirpata: *quicunque Hungarus,*
seu peregrinus in Hungaria depo-
sito Scythico, gentili, & ethnico
ritu

ritu, ad veram Jesu Christi fidem
illicò non rediverit, ac legem à
Divo Stephano traditam non re-
ceperit; capite, & bonis mulæta-
tor. O utinam plenitudo tem-
poris tandem arreperet! utinam
legem hanc longè sanctissimam;
propediem ad expurgandam tot
hæresum colluvionem: sed præ-
stat lenitatem acerbitali sufficere.
Igitur, hic ego vos, per vestram
salutem compello, qui non tam
perfidiâ vestrâ, ab religione Divi
Stephani discessiōnem fecistis,
quàm deploranda Patrum vestro-
rum temeritate! quo usque tandem
vaferrimis Sirenum cantibus in-
fatuati in utramque aurem dor-
mitabitis? recludite oculos, &
quàm longè à Divi Regis discipli-

na, fide, morum innocentia, desciveritis; judices estote. Supremam ille Romani Pontificis dignitatem, summum jus, universale imperium in amoribus habebat, & veneratione; vos flocci facitis, despiciatui habetis, in contemtionem adducitis: Sacerdotum ille, ac Antistitum Collegiis tertias detulit, cum Deo primas, Romanæ Curiæ alteras tribuisset; vos nihil magis in votis, in desideriis habetis, quam divinam Pontificum auctoritatem infringere, Sacerdotum jura pervertere, disciplinam excutere: ille ad juris, & Sacrorum Canonum dogmata, ad Conciliorum generalium decreta, ad Patrum SS. consilia unius cujusque vitam componi debere

bere sancivit; vos nomen Cano-
num ægrè admodùm, nec citra
fastidium auditis: ille feriæ sextæ,
ac statas id genus abstinentias sum-
ma religione servari præcepit;
vos facerrimis his pœnitentiæ die-
bus ut plurimùm epulamini: ille
saluberrimas pœnas in eos tulit,
qui incruentam DEI in Crucem
acti memoriam, quam Missam di-
cimus, quantumvis modesta lo-
cutione profanaverint; vos augu-
stissimum hoc Altaris Sacramen-
tum, proh sacrilegium infame!
idolomaniaæ notâ inurere non ve-
remini: ille sinè pœnitentiæ, &
reconciliationis Sacramento de-
cedentibus, sepulturæ honore
interdixit; vos nævos animi, quo-
rum conscientiâ tenemini, apud
Sa-

Sacerdotis aures deponere cane
pejus & angue perhorrescitis.
Hæccine est fidei, & morum re-
gula à Divo Stephano olim pro-
posita, ad quam vitam compo-
natis?

Quod utinam nemo sit, qui
ea omnia, quæ ex ipsis juris pa-
trii codicibus (Tripartitum vo-
cant) bona fide lecta, summatim
persecuti sumus, inficiari, aut ele-
vare audeat; labore, & mœrore
levati sumus: quia verò sus déque,
miscere omnia, Christianæ fidei,
novi isti (si Diis placet) restitu-
tores consueverunt; ad proposi-
tum revertamur. Ego certè, o-
mnem Religionis divinæ proces-
sum, illis cumprimis acceptum re-
fero, qui eas ipsas nationes, &
gen-

gentes, apud quas, supremos Magistratus adepti sunt; Primis fidei rudimentis imbuerunt, ad morum integritatem exemplô, & sancta conversatione promoverunt, interposita demum Sacramenti religione, Romanæ Ecclesiæ subjecerunt. Quo in genere, Constantinus Magnus itâ excelluit, ut de illo memoriæ proditum sit: quòd posteaquam pacem, libertatem, magnificentiam, Christianorum Sacris reddidit; Urbium Dominam, Italiæ caput, Romani Imperii arcem munitissimam, liberalitate à natis hominibus inaudita, Summi Pontificis, qui vicariâ Jesu Christi potestate, orbi terrarum moderatur, possessio- ni cesserit, juribus subjecerit.

Quæ

Quæ verò , quantáque commoda, ex hac optimi Principis largitate, in militantem Ecclesiam derivata fuerint ; nōsse cupitis ? acerbissimam Domitiani, Detii, Diocletiani , Neronis, tempestatem , cum aurea Constantini conferamus. Cedò , quid immanissimis , ac ferociissimis belluis , ad clavum Imperii sedentibus , tam atroci, tam barbarâ carnificinâ excruciaabatur ; atque innocentia Christiana? quamvis enim vix quicquam aliud à Discipulorum nominibus pro tribunalibus diceretur , accusaretur, damnaretur : quamvis vici omnes , plateæ omnes , ædes ownes , imò omnia delubra Deorum , humano sanguine made- rent: quamvis non unum Tullia- num ,

num, sed latumiæ, ergastula, sentinæ, carceres vincitorum catenis personarent: nulla ætatis, nulla sexûs, nulla virtutis, famæ, nobilitatis ratio haberetur: Patres filiorum sanguine manus inquinarent: liberi dulcissimorum Genitorum cruento profunderent: crudelissimum tamen Senatus-Consultum & factum, & prescriptum fuisse legimus; cuius vi, bonis viris, & religiosis hominibus, quotquot Christiano nomine censabantur, & aqua, & igne interdicebatur. Imò verò, eâ crudelitate bacchari cœperat tyrannorum furor; ut duorum lustrorum lapsu, decem ut minimum Fidelium millibus, quot mensibus idolis litatum sit. O crudelitatem post

post visos homines nunquam auditam! gaudetis ex adverso, Romanam Urbem, quæ, quantacunque est, sanguini innatabat, in æterrū Religionis propugnaculum assurrexisse? Constantini liberalitate assurrexit. Detumescente persecutionis procella tranquillitatem R. P. redditam magnificitis? reddidit Constantinus. Eam, quam, cum voluptate intuemur sacrorum Magistratum, amplitudinem, Patrum purpatorum dignitatem, Pontificis Maximi autoritatem, publicam potestatem, summum imperium suspicitis? ad unum omnia debentur Constantino. Constat proinde sua sibi veritas: omne sacrorum nostrorum decus, gloriam,

li-

libertatem piissimorum Principum
curâ , sollicitudine , industriâ ple-
rumque comparari.

Quotus autem quisque est,
qui in dubium revocet: quantum
Italia Constantino debet; tan-
tundem Hungariam à Stephano
accepisse? neminem enim vestrūm
ignorare arbitror, Scythicam Ma-
jorum nostrorum barbariem,
quam pleræque Italiæ, Germaniæ,
& Galliarum Provinciæ, aut fun-
ditus eversæ, aut crebris cladibus
affectæ deplorant: ad quam pro-
fligatis semel, ac iterum Roma-
norum aquilis, cùm de summa
Imperii ageretur, ipsa gentium,
ac orbis terrarum Domina incre-
dibili metu exhorruit. Neque
tamen atrocitas hæc, & implaca-

S bilis

bilis Christiani sanguinis sitis prius posuit, quam factio Sanctissimi Regis, ad fidei veritatem accessu. Nam cives quam plurimi, accensi studiō Principis sui vitam æmulandi, mores scythicos, tyrannidem, irreligionem salubri fonte eluerunt. Ne quā porrò, veræ fidei integritas vitium faciat, aut temporum injuria intercidat; sanctissimis legibus providit Stephanus, & præcavit. Non est proinde, cur cuiquam stomachum moveat, quam pro scopo dictio-
nis defixi opinio: introductam o-
lim, & ad nostram usque ætatem propagatam, aut certè loco, &
dignitati, unde per summum ne-
fas exciderat, redditam Religio-
nem Romanam, unius Stephani
foli-

solicitudini addici. Fremant, per me licet, inimici veritatis, & Deorum immortalium hostes; quos hac potissimum ratione contemnendos existimo: quod secundum animum vexati, & male accepti, nullum gustum Sacrarum Literarum sentiant; nisi, pro ingenii sui arbitratu, cœlestia oracula depravaverint. Ut quippe ægrimoniam confecti, qui que aut ex fastidio stomachi decumbunt graviter, aut atrâ bile discruciantur miserrime, nullam cibi suavitudinem percipiunt: non aliter vagæ, & dubiae fidei, quamque sibi comminiscuntur sacrorum varietatem, perfracte propugnantes novitii sectatores; si quibuscunque argumentis, authoritati-

bus, testimoniis impugnantur; cum stomacho regerunt, aspernantur universa.

Alterum, quod è re nostra futurum autumo, est saluberrima, in Regibus providentissimis sanctio, Divinissima lex, sapientissima provisio: ut universa Comitiorum decreta, ac imprimis si Religio-
nis decorem, veritatem, aut ma-
jestatem contingant, toties pro abrogatis habeantur, & irritis;
quoties omnibus, aut certè po-
tioribus Antistitum calculis con-
demnantur. Hic enim verò ve-
hementius se se impugnari sen-
tiunt, quotquot homulis ex ulti-
mo luto, & argilla fictis; quo-
quot variarum hæresum monitris,
vicissitudine temporum admissa
ho-

hospitii jura, sub æterna Pontificum cautione (protestationem forum appellat) hodie etiam hærere suspicantur; & rectè quidem. Hi, quô rudioribus fucum faciant, errores suos curiatis, tribunitiis, quæstoriis, & centuriatis comitiis probatos, atque pro religiosis Fidei capitibus recognitos magnificè, & usque dum irraucuerint, decantant; cùm adversas sibi Pontificum, Antistitum, & Sacerdotum sententias prætereunt quâm callidissimè. Irrepsistis igitur, non verò civitate donati unquam estis. Quippe, non longè à funesta clade, quâ Ludovico Rege, cùm plerisque Episcopis desiderato, Hungaria omnis in factiones scissa, civili

bello miserrimè conflagrabat,
clàm , & furtim introïstis. O
præclarum, Mediusfidius ! Religio-
nis amplificandæ rationem ! Ex-
ulâsset verò providentissima illa
moderatio , & cautela : Dii boni !
quæ Regni Hungarici facies, quæ
vaſtitas, quæ despectio viseretur ?
vix cogitatione assequi sagacissi-
mus quisque potest. Tuâ ergo
Regum Sanctissime industriâ fa-
ctum profitemur : quòd fidei Ca-
tholicæ decus aut servatum inte-
grum , aut restitutum in integrum
videamus.

Sed vereor , ne longiùs, quàm
noſtri fuerat propositi æmulos di-
vexemus : ſanctimoniae Divi Ste-
phani iſſistamus. Quòd ſi in ar-
te Galeni facile primas meruerit,
qui

qui inveteratō morbō afflictos ,
ac à medicis depositos integræ
corporis valetudini restituerit :
multò maximè sanctissimis sit mo-
ribus , qui vitia vitiis cumulandi
pravam consuetudinem alicundè
depellit. Ecce tibi , Divi Stephani
Religionem summatim recitatam !
siquidem , ut à Majoribus accepi-
mus , usque adeò ardenti pietate
in Superos ferebatur ; ut hanc
subditorum mentibus altius inse-
rere omni studio , omnibus viri-
bus contenderit. Quo factum
est , ut sublatis profanorum Nu-
minum sacrificiis , eversis simula-
cris , abrogatis ceremoniis : uni
Deo vivo , & vero frequentes
Ædes erectæ , positæ aræ , imma-
culata hostia offerri cœperit in

piaculorum expiationem. Persuasum enim, & exploratum habuit Princeps sapientissimus: Religionem sacris ritibus, & maiestate destitutam, diu consistere nequaquam posse. Quocirca opima hostium spolia, & gentium domitarum censu dives ærarium, excitandis Dei immortalis sacra-riis, comparandæ sacræ supelle-ctili, deducendis novis Sacerdotum coloniis exhausit. Testem produco sacrum montem Panno-niæ: hic primus omnium libera-litatem Divi Stephani loqui debet, qui primus omnium amplif-simam sacrarum ædium fabricam, magnificum Deo famulantium domicilium, ingentem prædiorum vim, certam, & ratam rerum o-

mnium,

mnium, atque adeò dulcissimo-
rum etiam liberorum decumani
suscepit. Vix verò huic operi
supremam manum imposuit Ste-
phanus; alterum ad montis fer-
rei radices à fundamentis excita-
vit religiosorum hominum colle-
gium, qui incultam tellurem, &
solum asperum excolerent. In
his Bonifacius, dum naviter ver-
bi Divini sementem facit, barba-
rorum furore sublatus, feliciter
vixit. Tam prospero rerum suc-
cessu exciti quàm plurimi, ex o-
mni orbe Christiano certatim in
Hungariam accurrebant, aut gen-
tis efferatæ mores ad humanita-
tem, & Christianam modestiam
revocaturi, aut vitam cum san-
guine profusuri. Horum facile

Principes censentur : Gerardus
clarô apud Venetos locô natus ,
qui primus Patriam martyrii glo-
riâ illustravit : Andreas alter , qui ,
posteaquam bene multos , veræ
Fidei rudimentis instituit ; hic
loci , animam suo reddidit Crea-
tori. Benedictus item , qui ad
dimidium supra Trenchinium la-
pidem à furentibus barbaris , in
præterfluentem perturbatus , vitæ
cursum , felici fine consummavit .
Sed quid ego recensendis Viris
sanctissimis distineor ? ad Regem
nostrum revertamur . Exturbata
jam omni ferè Hungariâ impie-
tas , pietati ; dejecta veteri statio-
ne superstitione , Religioni ; dirutæ
sacrilegæ delubrorum moles , sa-
cris ædibus locum cesserant : his

tamen omnibus vix quicquam se
promovisse arbitrabatur Stephanus; nisi rebus præclarè cœptis,
de immortalitate prospiceret.
Quod ipsum, ut ex animi senten-
tia veniat, quid non egit? in-
gentem prædiorum, pagorum,
villarum, & oppidorum nume-
rum à Regia possessione avellit:
ut ita Antiftitum dignitati consu-
leret. At nondum satìs. Extra
eas, quas infinitas ferè, luxu Re-
gio excitavit Basilicas, quasque
ut plurimùm, Magnæ Hungaro-
rum Dominæ dicavit; tres cum-
primis insanis prorsus sumptibus
construxit: Strigonii unam, loco
celebri, & patriâ sibi Urbe, cu-
jus magnificentiam, sacræ ædici-
læ marmor testatam facit, hanc
quip-

quippe unam, ex vastissima ædium mole, Saraceni intactam reliquēre. Coloczæ alteram, quam hodie relicta rudera commendant. Albæ rursus alteram florentibus Hungarorum rebus à quām plurimis Scriptoribus celebratam. O modum unum omnium probatissimum, quō florescere, atque ad æternitatem produci potest Religio !

Quorum singula, quantumvis magna per se se sint; longè tamen maxima videbuntur, si sacræ potestatis communioni socientur. Illud enim religiosissimæ, in Deum, & Sedem Apostolicam, Stephani pietati datum est: ut jubere Antistites, Episcopos, instaurare Sacros Magistratus, ad hanc usque diem

diem Apostolicis Hungariæ Regibus proprium sit. Hinc fit: ut opportuno tempore, de idoneis Ministris Ecclesiis provideri, & siqua jactura irreperferit, reparari omnino possit. Hac una arte, divina illa, quam intuemur Religionis Romanæ amplitudo, & eminentia, vel servata, vel loco veteri reddita, ad nos usque pervenit.

Sanctum proinde, ac religiosum, apud unumquemque vestrum habeatur Nomen Stephani; cui uni non minus fidei Romanæ integritatem, quam regiae dignitatis honestatem debetis. Nisi enim vitae innocentia, ad morum, ad Religionis Sanctitatem facem prætulisset; nisi liberalitate Regia, tot

tot Divorum immortalium sacra-
ria posuisset ; nisi Sacerdotum
colonias, Flaminum collegia, An-
tistitum authoritatem , vim , ma-
jestatem stabilivisset ; nisi Apo-
stolicæ facultatis jura , coronæ
adjunxit ; tot calamitatibus ve-
xatâ Patriâ , tot inimicis veritatis
impugnatâ , quis vestrûm esset ,
qui aut ad Majorum supersticio-
nem , aut ad Patrum à Romana
Ecclesia secessionem non defle-
xisset ? Tibi ergo , tibi uni secun-
dùm Cœlites acceptum referimus
Regum piissime ! quòd ad Roma-
næ Fidei cognitionem pertigeri-
mus : tuam in propulsandis hosti-
bus opem imploramus . Tuere
hæreditatem tuam ea animi ala-
critate , quâ olim infinitas hostium

co-

copias profligâsti. Sic enim fieri:
 ut facer Ministrorum ordo, cui
 Apostolici muneric vices credidi-
 sti, solutus metu, in id unum in-
 cumbat; ut te Duce, te Auspice,
 quâm plurimos, ad societatem
 Romanæ Ecclesiæ, quâm pri-
 mū traducat.



DE

XXXI. Oct. 179

und man wird sich nicht mehr platz
haben, ohne unzufrieden zu seyn.
Hierher kommt ein zweiter Grund,
dass man hier nicht so leicht und
so gern wie in den Städten kann, auf
dem Lande zu leben. Hier ist die Natur
unseres Hauses sehr verschieden von
deren, welche wir in den Städten
haben.

DE PATROCINIO
DIVÆ CATHARINÆ,
ORATIO X.

Habita Nitriæ,

In Instauratione Studiorum,

VII. Kal. Dec. An. MDCCXXXVII.

EPISTOLA
AD ORATIONEM X.

NE cui absconum videatur, quòd adoptionis, & clientelæ officium, in præsentia confuderimus; quòd Patronorum jura, cum Adoptantium munere permutaverimus: intelligat, ad studiosam juventutem sermonem nobis esse, non verò ad Senatum Populi Romani aliquid referri. Nam, & in hodiernis judiciis, bujusmodi solennes actus, qui apud Latinos in usu fuerant, exoleverunt. Adoptatio autem, ætate nostra fit, aut ante Magistratum per acta publica; aut per Principis diploma. Cùm porrò in sensu, & notione non propria, vocibus illis, quæ

J.C.

J. C. perquād familiāres sunt,
uti elegerimus; parum referre vi-
detur, utram illarum, ad sensūs
explanationem adduxerimus. Qua-
ratione verò generatim, & uni-
versè solūm tum virtutes, tum
res præclarè gestas D. Catharinæ
percensere placuerit; neque vitæ
illius cæterūm sanctissimæ narra-
tionem, per laudationis capita in-
stituere, neque hæc eaden in plu-
res partes distribuere: ex oratio-
nis principio liquet. Nec enim
satís temporis, & virium ad di-
cendum, nec occasionem usque a-
deò opportunam, ad juventutis
animos inflammandos præstolari
licuit: si historiæ seriem texere,
aut relatas de Græciæ Philosophis,
de Maximino, de tyrannide erebi

victorias singulatim prosequi oportuisset. Sub principium quippe anni Scholaſtici, ex discipulorum manibus, excutiendi erant id genus codices, quorum familiaritate, jocis, & ſalibus, velut infaſuati adolescentes, affuſeſcunt vago, instabili, diſſoluto, & impuro dicendi generi: quam deinceps conſuetudinem, in omnem vitam retinere ſolent. Præterea pluris fecimus Divæ Catharinæ patroci- nium, cuius prætentiffimam opem, in optimis artibus ſæpen numero ex- periri nobis contigit: quād nulli non cognitam vitæ ejusdem hifto- riam. Quid enim eſt, quod deſperare poſſit, aut quod ſperare non debeat, qui tanti Numinis auxi- liō potitur?

DE PATROCINIO
DIVÆ CATHARINÆ,
ORATIO X.

JAm usque à primo Musarum nostratum adventu, quarum conatu, meliorum artium fundamenta, in vetustissima hac civitate, secundis auspiciis jacta sunt, pia, & salutaris consuetudo invaluit: ut VII. Kal. Dec. solemnis instituatur laudatio, quâ, D. Catharinæ vita, & res præclarè gestæ in memoriam revocentur. Literariæ attamen juventutis insperata frequentia, & tanti Numinis clientelam affectantium conferta multitudo facit; ut missis Sanctissimæ Virginis, & Martyris laudibus, expeditam ratio-

T 3 nem

nem vobis commonstrare elegerim , quâ ad patrocinium illius consequendum , atque adeò ad humaniorum literarum cursum , cum fructu uberrimo conficiendum faciliùs , & procliviùs perveneritis. Quod ipsum , ut à loci hujus maiestate , atque temporis sanctimoniâ alienum fore non vereor ; ità promovendo latini sermonis decori pondus , & momentum addere posse consido. Quæ enim Divorum immortalium major laus , quæ commendatio fuerit , quâm beneficiorum crebritas in humanum genus derivata ? quid ad utilitatem studiosæ juventutis , quid ad provehenda felicia ingenia magis consentaneum cogitare licet , quâm propitium Numen ad

ad bonarum artium patrocinium
inclinare? quām ingenuos adoles-
centes, ad pervolutandos optimorum
scriptorum libros excitare,
& velut intentō digitō viam desi-
gnare, quā ad germanam Cassii,
Pomponii Africani, P. Sulpitii,
Livii, Nepotis, Cæfaris, Teren-
tii, Ciceronis eruditionem, &
latini sermonis integritatem pro-
ximè possint accedere? Cathari-
næ quippe ductu, & auspiciis hu-
manioribus vacare literis perinde
est; atque in Romanæ eloquen-
tiæ literaria R. P. civitate donari.

Nullus tamen sit, qui sibi per-
suaderi sinat, me eō animō ad
hunc locum accessisse, quòd exi-
stimem, optimarum disciplinarum
studium, apud nonnullos vestrūm

refrixisse: vobis enim ad unum omnibus nihil antiquius esse intelligo; quam ingenuarum literarum instituta. Quorsum enim ab ardentiissimo discendi desiderio pertinebit, magnanima illa mentis vestrae firmitudo, quam, reconditae literaturae causâ, dulcissimæ Patriæ cœlum salubrius, suavissimam Civium consuetudinem, nativæ domûs commoda, Patris optimi gratiam, Nutrictum, Sororum, Matrum lamenta, lachrymas, suspiria fortiter, & animosè despexistis? hodie tamen, ad verum iter gloriae, quod citra offenditionem percurrentibus, Romanæ linguae dignitas decernitur, facem vobis præferre destinavi. Ergo in spem optimam, patroci-

nium

nium Catharinæ adipiscendi assurgetis, si ad integritatem sospitæ, & Patronæ vestræ mores, vitamque componere, si meliorum codicūm imitatione de Latio optimè mereri contendetis. Quia porrò horum alterō, ad sanissimi cuijusque palatum nihil suavius, alterō ad literati hominis utilitatem nihil opportunius dici potest; si benevolas præbetis aures, unum ex altero ita proferam; ut neque à munere meo, neque ab indole vestra oratio abhorreat; sed verò in laudibus Catharinæ cum fructu literarum versetur.

Ita naturâ comparati credimur, ut quemadmodum implacabile odii genus adversus invidos, & obtrectatores concipimus, quos

aut opinionibus nostris latenter adversari, aut ab æmolorum partibus palam esse animadvertisimus: multò maximè arcana quadam vi trahimur, imò sæpè impellimur, ad devinciendam nobis clarissimorum Civium necessitudinem, apud quos, vel una eademque scientiarum professio, vel mutua officiorum communio, vel aliud ab his artis, aut naturæ donum, amicitiæ, familiaritatis, amoris materiem subministrat. Unde enim, à natis hominibus inauditæ dilectioni patrocinium peterent, à Græcis, Latinisque Poëtis celebrati Theseus, & Hercules, si ad jus vocati causam dicere juberentur? Theseus quippe, ut primùm certis indiciis didicit,

Her-

Herculem fatorum invidiâ è vi-
vis sublatum apud inferos malè
haberi: usque adeò cœcâ, & te-
merariâ ulciscendi cupiditate fla-
grare cœpit: ut ad redimendas,
in amicis charissimi vexationes,
incognitum mortalibus Ditis im-
perium adire, Cerberum, sexcen-
tâque erebi monstra, magnô ani-
mô aggredi, subjugare, suum de-
nique Herculem, in libertatem
vindicare attentaverit. Iſti certè,
eandem morum culturam, studia
eadem, idem vitæ genus, ad ele-
vanda, aut diluenda accusationis
capita producerent. Cùm enim
Theseus tantum detulerit Hercu-
li, ut illius alacritatem, vitam,
ingenium, delectum armorum æ-
mulari pro virili studuerit: ut si-
mil-

millimo habitu, pari consuetudine, iisdem esculentorum, & poculentorum deliciis frui voluerit, quibus Herculem assuefisse didicerat: nulli admirationem move re debet, usque adeò inusitato fœdere, alterum alteri adhæsisse.

Quæ, licet commentitia, fitaque sint, & auribus melius, quam veritati servire videantur; illam tamen conjunctionem animalium, & consuetudinem in memoriam revocant, quæ Laribus, quæ Penatibus, quæ Indigetibus cum humano genere intercedit. Vobis ego testimonium denuncio, ô felicissimi patriæ cœlestis Coloni! qui, ut primùm cœlesti civitate donati, in Divorum immor-

mortalium numero haberi incepisti, antiquissima vobis cura est, sacrum Patronorum nomen, & munus assumere: numerosissimos mortalium, sub tutelam admittere: clientum, imò suavissimorum liberorum locô, illos cum primis complecti, fovere; in oculis circumferre; quos spectata vitæ innocentia, quos eadem morum integritas, & virtutum cultio, cui olim etiam atque etiam studebatis, ex vulgi fece, & servitute exemerit. Vos ipsi, qui de omni tribu, lingua, & populo lecti, lavistis stolas vestras in sanguine Agni, neque cum mulieribus inquinati estis; quoties virginalis pudicitiae integritatem, in discrimen conjectam cernitis, toutes

ties opportunō subsidiō , periclitanti castimoniæ succurritis: quasi id unum agere deberetis; ut probrosam pudoris prostituti jacturam , miseri mortales declinemus. Alii aliis præsentem opem , & maximè commodum affertis auxilium , & juvamen.

Quæ cùm ità sint; planè non video , quamobrem animum abjiciat , aut falsò sibi quispiam persuadeat , se sub D. Catharinæ defensionem , & tutelam venire nulla arte posse: modò ad literarum cultionem , ad vitæ probitatem , quibus illa ætatis suæ florem aluit , maximoperè aspiret. Nam , ab ineunte ætate , optimarum disciplinarum exercitiis , morum sua virtudini , innocentia , accuratio ni

ni usque adeò sedulam navavit operam Catharina: ut habitu librorum discrimine, eorumque usu, qui non solum reconditæ doctrinæ pleni, verùm etiam ab omni procacitate, & petulantia alieni, reperti sunt, summam eruditio-
nis, & sapientiæ opinionem apud universos Alexandriæ Cives sibi comparaverit. Et hæc duo inci-
tamenta sunt, quibus instructos, in amoribus habere, in clientelam admittere confuevit Catha-
rina. Agite ergo juvenes lectissimi, & tum sanctior conversatio, literali diligentia sociata, curæ vobis sit: cum impurioris vitæ, pravæ familiaritatis, corruptelæ morum declinationem diligitote: opinione citius sentietis, hæc po-
tissi-

tissimum ratione, ad patrocinium
D. Catharinæ aditum patere.

Quod si M. Catoni æquum
videri potuit, amoris, & hono-
ris gradum Patrono cedere secun-
dum Patrem: nonne Genitricis
optimæ loco, Catharina vobis
venire debet, quæ eos ipsos,
quos sub tutelam receperit, in
filios adoptare consuevit? istud
igitur qua ratione fieri possit?
videamus. Duplex adoptionis
genus ex Ulpiano didicimus:
alterum cum filiusfamilias, Pa-
tris voluntate, & confessione,
ter in adoptionem mancipatus,
post geminam manumissionem,
ad potestatem adoptan-
tis, ad familiam, ad sacra transfi-
bat. Alterum, cum homo sui
juris,

juris, re ad judicium populi deducta, curiatis comitiis, in alienam familiam traducebatur, & si Sacerdotum collegium causam, & jusjurandum probavisset, futuræ stirpis caput creabatur. Ne verò unus aliquis malô dolô hæreditates alienas involaret, in adoptio-
nis principia, Antifitites inquire-
bant. Oportebat enim ea indo-
le, illis moribus, illa totius oris,
& corporis conformitate ado-
ptandum esse, ut vacillantis, &
ruinam minantis domûs amplitu-
dinem, nobilitatem, splendorem,
religionem, aut sustinere, aut in-
staurare posse communi civium,
& Pontificum confensione crede-
retur. Quot verò, & quanta com-
moda in omnem bene ordinatam

Remp. ex saluberrima adoptandi consuetudine derivata sint; omnium gentium tabularia, leges, jura, annales loquuntur. Boni Superi! quot domus clarissimæ, interrupta Nepotum serie, ex omni hominum memoria excidissent, quæ immortalium meritorum frequentiâ, & magnitudine, de orbe Christiano optimè meritæ, uno omnium ore celebrantur: nisi bonâ Principum veniâ, in communis propaginis locum, adeptio irrepessisset. Hujus certè unius vis tanta est, ut hamani generis pertæsa, immensos cœlorum orbes, & felices Divorum immortalium sedes, animosque sic occupaverit: quòd alter ante alterum, non paucos mortalium
lege-

legere, & adoptare contendat. Dum tamen hæc memoro, quæso, & per fidem vestram oro atque obsecro: ne repentinò stomachemini, néve per fabulas fūcum vobis fieri existimetis; siquidem optimo quoque homine, digna habeatur sententia: eos ipsos, quorum curam, patrocinium, procurationem Cœlites suscep-rint, in Divorum filios adoptari. Ipse enim gentium Apostolus ad Galatas scribens, venisse plenitudinem temporis confitetur: ut *adoptionem filiorum Dei recipiamus.*

Quis itaque temerarius fuerit, qui in hæreditatem, in familiam, in sacra D. Catharinæ trans-ferri aspiret; neque tamen per mo-

rum corruptelam, per supinam
desidiam, per licentioris conver-
sationis consuetudinem, mendo-
bos mores emendare; pravam
consuetudinem exuere; integri-
tatem sanctæ Virginis cupidissimè
persequi contendat? cui stoma-
chum non moveat rei indigni-
tas, si unum aliquem de scurra-
rum, ac rabularum furfure, in
filios tanti Numinis referri velle
intelligat? si unum aliquem, qui
nihil habeat antiquius, quam
cum diurnis, nocturnisque bac-
chantium cœtibus furere: cum per-
ditissimo quoque amicitiam inire,
societatem contrahere: optimarum
artium studia aversari: ho-
nestatis jura præterire: humanas,
& divinas leges contemnere: si
unum,

unum, inquam, aliquem, qui ad
omne crimen cœco impetu ruere
confueverit, patrocinium D. Ca-
tharinæ ambire cognoscat? im-
probi hi, imò scelerati, in malam
crucem abeant; ne contagioso
vitiorum afflatu, funestissimam
vitiorum luem, latius propagare
possint: vos autem juvenes le-
tissimi, quos meliorum discipli-
narum cupiditas, quos morum
integerrimorum cultio, à dulcif-
simæ Matris amoribus avellit, at-
que in celeberrimum hoc Musa-
rum domicilium coëgit; Catha-
rinam Genitricis optimæ locô,
hac ipsa luce accipite, & dum
vita faverit, omni officiorum ge-
nere demereri, in literis, in pie-
tate imitari, quantum per vires li-
cet, studete. V 3 Sed

Sed jam satīs multa de patro-
cinio, extra patrocinium etiam ni-
mīs fortassē multa. Quid restat,
nisī, ut expeditam in literis pro-
ficiendi rationem cognoscatis?
At, quorū ego studiorum cul-
turam, cum clientelæ affectione
compono? quid librorum dele-
ctui, cum D. Catharinæ patroci-
nio? parum certè referre vide-
tur: utrum eleganti stylo, & per-
polito dicendi charactere; an
vulgari, inquinatâ, ac minùs lim-
pida oratione, ad eloquentiæ di-
gnitatem pertingamus. In hunc
modum ratiocinantur, qui Divo-
rum immortalium propensionem,
qui literarum naturam omnino
ignorant. Quid? ex lutulentis
codicibus elegantem, & ger-
ma-

manam latini sermonis proprietatem, integratatem, castimoniam haurietis? si mihi fidem habere renuitis, Tullio credite, qui librorum, quos ad manus habemus lectione, ita eloquentiam colorari docuit, quemadmodum homines, qui in sole ambulant, sensim infuscantur. His accedit, facilla-
ma omnium cœlitum liberalitas, beneficentia, commiseratio: qui-
bus rebus fieri amat; ut quoties pravarum affectionum illecebrâ in transversum agimur; quantum-
vis prolixâ, ac ardentî supplicatio-
ne, quicquam impetrare conten-
damus, quod tamen noxiū no-
bis fore, boni Superi præcogno-
scunt: nunquam certè exoremus.
Quemadmodum ergo frustrâ, &

incassum maternum auxilium implorant pueruli; cum ignem, arma, venenum, aliisque id genus tractare gestiunt; eadem ratione, præclusum vobis ascensum ad D. Catharinæ patrocinium scitote: si ejusdem clientelâ, ad pervolutandos sequioris notæ Scriptores abuti velitis.

Jam eò, unde digressi sumus, revertamur. Sunt bene multi, qui quoties secum ipsi recogitant, humaniores literas, in dies ad exitium properare; in causas fribilis hujus ruinæ inquirunt. Alii mundi in senium vergentis deliquium caufantur: alii raram Mæcenatum liberalitatem accusant: alii discipulorum, Præceptorum, alii neglectum, paucitatem, varietatem

tatem condemnant. Mihi sanè illorum conjectura nunquam non placuit, qui collapsam Romanæ linguae gloriam, ab obvia infucatorum librorum lectione peti debe-re, censuerunt. Videre quippe est, quām plurimos, qui in Musica, Arithmeticā, Poëtica, cæterisque gravissimis disciplinis, magnos progressus faciunt: & quamvis amplissimarum facultatum cen-sum ad studia literarum conver-tant: summum in eloquentiæ di-gnitate assequenda conatum ad-hibeant: eruditissimorum viro-rum familiaritate utantur: peritis-simos in arte Magistros audiant: tamen ad mediocritatem latini sermonis pervenire nullō modō possunt. Quam autem aliam,

tantæ calamitatis originem, à barbara pessimorum codicum latinitate statuemus? molles enim, & flexibiles juventutis animi tumidō, ac inflato dicendi genere, frigidis leporibus, & effæminatis argutiis, jocis, acuminibus mirificè capiuntur. Hinc fit; ut calamistratis elegantiarum pigmentis prolectentur, jámque Hypocrenæis laticibus ebrii, tum primùm in Oratorum numero, se primō locō esse, autument: cùm innumeras Poëtarum delirationes, epigrammatum sales, Satyrarum fel, fabularum ex omni Nasone exscriptarum volumina, duodecima græcarum, peregrinarum, & novellarum dictionum adversaria, ad latinitatis exitium comparata
ha-

habuerint. Dii boni ! quàm grata, quàm jucunda, ad veterem, naturalémque Romanæ eloquentiæ splendorem , & munditiem fieret accessio ; si illum ipsum conatum , quem ad depravandam latinæ linguæ integritatem , & in dies succrescentium vocabulorum innumerabilitate (si Superis placet) reparandam adhibent, in veterum Scriptorum libris evolvendis , & puriori latinitate conquirenda insumerent. Miseret me vestri ! qui , cùm ne à limine Graciam salutaveritis , nihilominus , adversus obsoleta , & à quotidiano Graji sermonis usu remota vocabula , usque adeò afficimini : ut eligatis ipsimet non percipere, quid chartis commiseritis , quàm à gra-

à grajugenarum abstrusis, & magis involutis loquendi modis abstinere. Vilet his Plautus: Terentius, ad excitandum populi Romani risum, barbarorum more scripsisse creditur: Cæfaris commentarii humiles, & abjecti: Ciceronis Philippicæ, exscriptis ex XII. Fab. legibus, magis ambiguis locis, caliginis plenæ videntur. Ex adverso autem, si in unum aliquem incident, qui arguta brevitate, sybillinis versibus pares scripsferit; qui græcarum vocum frequentiâ, inusitatatarum copiâ, barbararum varietate dictionem asperferit; qui fucum, qui cincinnos, ad unamquāmque periodum, magnō numerō contraxerit: diurnâ istum, & nocturna manu defati-

fatigant. Hinc demum contingere solet: ut, qui à puero ener-
vem, & strigosam eloquendi ra-
tionem secutus, adulta jam æta-
te resipiscere, & ad saniorem
mentem reverti connititur; in-
credibili luctatione opus habeat:
quòd ea, labili jam memoriâ edi-
scenda suscipiat, quæ in prima a-
dolescentia didicisse, oportebat.
Vos autem ô juvenes lectissimi!
ad veterum Scriptorum gloriam
assequendam, ad aureæ ætatis elo-
quentiam comparandam, Viro-
rum clarissimorum exempla pro-
moveant, immortalis nominis fa-
ma excitet, quam Sadoletus,
Bembus, Petrarcha, Muretus,
Stephonius, Palearius, Manutii,
Facciolatus, Paulinus à S. Joseph,

sex-

sexcentique alii, in omnem posteritatem sibi emerentur.

Sed finis sit; neque enim præ gaudii vehementia loqui possum, quando liberalis frontis vestræ serenitas, amœnus oculorum vigor, festiva oris urbanitas, sermonे tacito perorat: nihil vobis fore antiquius, quam morum integerrimorum sanctimoniam, vitiorum fugam, probitate vitæ, innocentι consuetudine tutelam, patrocinium, clientelam D. Catharinae impetrare: adoptionem Divæ Martyris commereri: neglecta lutulentorum codicum fece, puriores Latini sermonis authores in subsidium eloquentiæ advocare. Tu autem, ô dignissima Musarum nostratum Vindex! Sospit-

spita! Instauratrix! capitales veræ
elocutionis, & germanæ latinita-
tis hostes, corruptores bonarum
artium, proditores Latii, à patro-
cinio, à sacris, ab hæreditate tua,
à conspectu nostro arcebis; & o-
mnes literarum defertores, duces
pigritiæ, antesignanos scelerum,
inimicos virtutum, morum per-
ditissimorum fœdere inter se, ac
nefaria societate conjunctos, ater-
nâ ignominiâ vivos, mortuós-
que maectabis.



卷之三

唐故中書侍郎同平章事吏部尚書杜公集
公者，字元和，京兆人也。少孤，家世富
于金玉，而公不以自矜。性至孝，事母
极甚。母好食生菜，公常蒸熟，每云：「
此非生也，熟也。」母笑曰：「汝不孝，
使吾老也。」公笑曰：「吾不孝，使吾母老
也。」母大笑。公之兄仲，亦有才名，但
不以文章著。公尝与人书曰：「吾兄仲
之才，如河出昆仑，一泻千里，不可量也。
吾之文，如水出河，得其流，不能深矣。
」公之子瞻，亦有文名，人问其父之才
何似，公曰：「我之文章，如行地无隔，
若瞻之文章，如行水无际也。」

LIBRARY
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES
EUCHARISTICON
Pro novi theatri extictione,
ORATIO XI.
Habita Szegedini,
Ad Amplissimum Civitatis ejusdem
MAGISTRATUM,
Kal. Aug. Ann. MDCCXXXV.

E P I S T O L A
AD ORATIONEM XI.

*A*d liberandam fidem, quam
clarissimis Civibus, prodicatio-
nis bujus peroratione dederam,
præsens gratiarum actio divulga-
tur. Et licet annis proximè su-
perioribus intellexerim, & thea-
tri illius decus imminutum esse,
quod ad primam petitionem meam
publici ærarii impensa erectum, mi-
rifice literatum quemque affecerat:
& unum aliquem majoris oris quam
corporis hominem ausum esse, tum
amplissimi Magistratis liberalita-
tem, cum meam solitudinem, &
contentionem accerrimis morsibus
impetere: tamen me à proposito, di-
moveri passus non sum. Damnum
quip-

quippe, siquod necessitatis publicæ causâ fabricæ illatum est, cùm ingravescens contagio pestifera, tabulas aliquot ad fatales urnas detraxit; eadem alacritate, & munificentia Liberæ, & Regiæ Civitatis Szegediensis, cuius Senatum, recrudescente iterum, ac tertium lue pestifera, divina providentia servavit integrum prope diem instauratum iri non diffido. Ora autem hominum quis continuerit? nihil usquam à natis hominibus, usque adeò sanctum, & numeris omnibus absolutum fieri contigit, quod omnium calculis probaretur. Tanta est ingeniorum varietas, vel satius malitiosa pertinacia, ut neque absolutissima Numinis opera omnibus ar-

rideant. Quam rem quotidianæ variorum statuum, & ordinum, & ætatum querimoniæ testatam faciunt. Erat, qui alternam diei, & noctis, lucis, & tenebrarum successionem improbabavit. Erat, qui stellarum, qui lunæ, qui solis ortus, & obitus, aspectus, & oppositiones, sacrilega temeritate damnavit: et si, sub idem tempus, quod Deus Opt. Max. cœlum, & terram, & ea omnia, quæ horum ambitu continentur, fabricatus est, in consilii partem, & communionem operis venisset; quam plurima, alio ordine, & dissimilima serie locari debuisse, per summam impietatem, effutivit. Obstrepant igitur per me licet, & priusquam clarissimorum Ci-
vium

vium nomen lacerent, in theatri
fabrica linguæ acumen hebetent:
quibus ego author sum; ut si, si-
nè stomacho juxta has ædes trans-
ire nesciunt; quoties iisdem ap-
propingvant, oculos sibi velari
faciant.

EUCHARISTICON
PRO NOVO THEATRO,

ORATIO XI.

UTinam P. C. is essem, qui pro beneficiiⁱ præsentis magnitudine, quô me, collegásque meos, omnémque literariam Remp. recreâstis, satis cumulatè gratias haberem: quas, sicut tenuitas mea referre, ità amplitudo vestrâ prohibet admittere: nihil quicquam aliud ad votorum meorum summam accedere posset. Nunc, quia remunerandi vices, & mutua munera receptio privatorum sunt; congrua verò grati animi professio, & officiosa doni accepti recordatio, laus, accuratio vix à disertissimo quoque perfe-
ctè

Etè absolvi potest: apud vos quemadmodum loquar, nec consilium, nec oratio subministrat. Illud, ingrati animi notâ tacentem excitat; hæc, liberalitatis, & humanitatis vestræ alacritate verborum copiam, & dicendi facultatem diminuit. Modò certè, si unquam aliàs, publicas supplicationes Momo decernerem, ut ad illius votum, propektoris mei ædibus fenestra pateat; quæ admisso lumine, grati animi desiderium, arcanāmque cordis pensionem, atque de uno quoque vestrūm, omni officiorum genere demerendo solicitudinem, toti terrarum orbi aperiat. Modò Menenii Agrippæ fabulis, fidem haberem; si, quemadmodùm ille

communis citur, singula corporis
humani membra, suō consiliō,
sua volendi, & reminiscendi po-
testate, suo sermone uterentur:
postquam enim lingua propriō
defungeretur officiō, aliæ post
alias, nobiliores hominis partes,
munificentiam vestram loqueren-
tur. Modò, ex Æsopi senten-
tia, rebus omnibus, ac cumpri-
mīs amplissimæ theatri istius fa-
bricæ vocem redderem, quod si-
nè mora, à fundamentis excitâ-
stis, cùm primū de utilitate,
atque necessitate illius, ad spe-
ctatissimum Magistratum vestrum
ipse ego retuli: parietes isti, la-
quearia ista, scenæ istæ, eloquen-
tiæ nostræ subficio essent, & au-
xilio. Modò humaniores disci-
pli-

plinas, & in his, divinam primùm benedicendi scientiam humana specie induerem; ut inexplicabile ejus gaudium oculis ipsi vestris usurparetis, quod ex liberalitate vestra concepit. Sperat enim brevi fore: ut insanis sumptibus constructo, ac ad omnem tum audientium, cùm declamantium commoditatem comparatō locō istō, eloquentiæ Romanæ dignitas, magnificentia, amplitudo reviviscat. Quorsum igitur hæc dispiuto? quorsum? ut unusquisque vestrūm P. C. intelligat: sive muneris usque eò singularis excellentiam, sive vestram, eandémque promptissimam in benefaciendo alacritatem, sive temporis, quō acceptum est, diffi-

cultatem respiciam: nunquam me tantâ eloquentiâ esse posse, nunquam tam divino dicendi genere: quô munificam hanc in literas humanitatem, oratione augere, aut satis ornare valeam. **Quod** solùm ergo opis nostræ est, gratias agam: vos animis adeste, & eadem benignitate, quâ soletis, dicentem audite.

Quemadmodùm integris sensibus homines, quibus oculorum lumen nunquam ademptum est, vix Divorum immortalium clementiam, miserationem, benignitatem recordantur; nedum limina delubrorum atterunt, ut expeditam videndi facultatem iisdem Numinibus acceptam referant, quorum concessu adepti sunt;

sunt; hi autem, quibus amoenam
cœli, & terræ pulchritudinem,
sub ipsum vernantis ætatis florem,
invida fatorum necessitas subdu-
xit, oculorum sydera extinxit,
formæ dignitatem decoxit, si ere-
ptam olim lucis usuram tandem
de cœlo receperint, quod reli-
quum vitæ supereft, divino cul-
tui consecrant: pari ratione, ne-
mo nostrum manifestò perciperet,
quæ, & quanta sit theatri hujus
utilitas; si nunquam barbarorum
furore funditus eversum, nun-
quam liberalitate vestra effet re-
stitutum. Cùm enim facile princi-
eps orationis excolendæ ratio,
ætate nostra penitus interciderit,
quæ florentibus Romanis literis,
priùs quàm foro, quàm curiæ,
quàm

quām sacrariis inferretur , alternis
recitandi , & declamandi vicibus
perpoliri confueverat : cūm foren-
sium causarum patrocinium , ab
Oratoribus , ad J. C. desciverit ;
atque adeò patentissimum iter
gloriæ , quod novis etiam homi-
nibus ad divitias , ad honores ,
ad supremos Magistratus com-
pendiariam viam apparabat , in-
terclusum hodie credatur : omne ,
aut ferè omne juventutis illius ex-
colendæ studium , quæ ad Remp.
aliquando accessura est , Schola-
rum angustiis definitur . Quòd
tamen speciem aliquam moris ve-
tustissimi , à Jove Capitolino , cæ-
terisque Urbis Romanæ , & lite-
rarum custodibus , ad nos usque
productam , quòd humanitate ,
mu-

munificentia, sollicitudine vestra
P. C. in Libera, & Regia Civi-
tate ista nuper instauratam thea-
tri vastissimi molem, hac luce
primùm ingredimur: quòd à ne-
glecto recitandi, & declamandi
usu longè utilissimo, illata elo-
quentiæ vulnera, cicatricibus pro-
pediem obductum iri confidimus:
ad plausus, ad lætitiam, ad hila-
ritatem excitamur. Siquidem
theatralium ludorum opportuni-
tate, quid quid in moribus aspe-
rum, in corporis habitu inele-
gans, in sitūs venustate inordi-
natum, in motu, in progressu,
in quiete minùs compositum, apud
literariam juventutem animadver-
timus: libera reprehensione cor-
rigitur: quidquid in gestu durum,

&

& agreste, quidquid effæminatum, & molle, quidquid nimium, & exuberans notamus, continuò emendatur. Theatralibus ludis, ex iracundiæ, ex invidiæ, ex ulciscendi motibus, acutum, incitatum, vehemens vocis genus in discipulis efformamus: à mcerentibus, flexibilem, lugubrem, plenam, affectuosam loqueland, pro potestate exigimus: lætitia, jocis, gaudio abutentibus lenem, tenuerum, hilarem, facetum sermonem indimus: metuentium orationem demissō, hæsitanti, abjectō verborum sonō temperamus: memoriam demum ex Fabii sententia excolimus, & quod summa rei est, trepidationem, loquendi verecundiam, in publicum

pro-

prodeundi formidinem ab adolescentibus removemus. Memo-
riâ tenetis P. C. casum illum, u-
num omnium lepidissimum, qui
ad exitum anni superioris, in Di-
vi Demetrii evenerat. Cùm enim
ex pectoris affectione graviùs ha-
berem, anniversaria verò D. Ca-
tharinæ, quæ Regiæ Urbis hujus
Advocata colitur, solennísque dies
jam jámque præ foribus esset, ne-
que tamen per affectam valetudi-
nem, more, & institutô Majo-
rum ad dicendum accedere aude-
rem; vererer autem, si tantam
celebritatem sinè dictione aliqua,
elabi sustinuisse: ne invidiam
æmolorum, & judicia urbanæ
plebis subeam; ex primis discipu-
lorum classibus delectum habui,
senos

senos nominavi, in quos vices officii mei transferrem. In his unus aliquis procero corpore, acuto vertice, colore fusco, nigro crine, liberali facie, vultu denique cum omni membrorum compage consentiente, nullō negotiō animum nostrum ita sibi devinxit: ut eidem primas in dicendo deferre placuerit. Ad hæc vox robusta, latera firma, lingua nullō vinculō devincta, juvenem commendabat. Ne tamen formæ dignitas nobis imponeret, pridie diei, qui D. Catharinæ sacer, quot annis illucescit, periculum facere visum est. Hic ille recitare primùm, tum declamare jussus, tanta dexteritate actionem nostram (præire enim exemplū

placuerat) æmulari visus est; ut præmatura credulitate, beatum me, & felicem exclamaverim; quod ea, quæ de funere D. Catharinæ conscripsoram, actori omnibus propè numeris absoluto, pro conacione dicenda credidisse. Et ecce! vix postridie in conspectum vestrum prodiit, vix festivo tubarum, ac tympanorum sonō loquendi potestatem accepit: pallere, rubere, stupere, trepidare primū: tum voces diminuere, pervertere sensum, perturbare periodos, in Prosodium, in Poësim, in Grammaticam ipsam tricies, & septies offendere: ad extremū obmutescere etiam. Tanta est inconstantia mentis humanae, si in tenera ætate negligatur!

Y boni

boni Superi! si hic ipse omnem
illam orationem habuisset; quod
fastidium, quam nauseam sensis-
setis? arcana tamen Numinis di-
spensatione factum arbitror, ut
unum dictionis principium, ho-
mini ad illam usque diem nobis
incognito, ad declamandum tra-
diderim, & nihil præterea. Quod-
si theatralibus ludis, jam Militis,
jam Patrisfamilias, jam Optimatis,
jam Reguli personam sustinere, ab
adolescentulo assuevisset; nun-
quam, me castor! usque adeò ru-
dem, agrestem, impolitam, ine-
ptam actionem; eruditæ illi, civili,
ac amœnæ, cuius in ludo literario
specimen dederat, nunquam tan-
tâ cum honoris jactura substitui-
set, suffecisset.

Quod

Quòd utinam ludicra ista recitandi, & declamandi ratio; quam ad theatrales ludos contrahitam diximus, ea animi contentione frequentaretur, quâ, pro solenni Romanorum consuetudine, germana illa, quam intercidisse Quintilianus lamentatur, à Cicerone, aliisque aureæ etatis auctoribus frequentata est. Ipsum Tullium audite: *ut antea declamabam causas, quod nemo me diutius fecit, sic hæc mibi nunc servilis est declamatio.* Plinius etiam causam ipsam recitationis suæ redidit: *recitaturus oratiunculam, quam publicare cogito, advocavi aliquos, ut vererer: paucos, ut verum audirem.* Nam mibi duplex ratio recitandi: una, ut so-

*licitudine incendar; altera, ut
admonear, siquid fortè me, ut
meum fallit.* Utinam theatralis
nostra declamandi consuetudo,
in usum, in familiaritatem revo-
caretur! foret profectò, ut ju-
ventus literaria, tantum dexteriti-
tatis combiberet, quantum ad o-
mnem vitam in sustinendis Patriæ
dignitatibus, satis esse posset.
Quot diebus autem videmus ho-
mines inertissimos, qui licet no-
bili loco nati, licet politioribus
literis ad omnem humanitatem
efformati sint: quòd tamen sce-
nicis istis declamationibus à pue-
ris admoti non fuerint; aut pu-
blicò abstinent, & ruri, vel in-
ter agrestem plebem, latibula
priùs eligunt, quàm ultrò etiam
de-

delatum munus aliquod in Rep.
capeſſant: aut ſi Tribuniplebis,
Ædiles, Prætores, Consules re-
nunciati fuerint: cùm populi vo-
luntatem à senatoria discrepan-
tem ad Magistratum referunt:
cùm de rebus ſacris, de religio-
ne, de supplicationibus verba fa-
ciunt: cùm jus ex eburna, curu-
lique ſella dicunt: cùm gentium
exterarum legatos in curiam de-
ducunt: cùm ad aperienda gra-
viflmis de rebus consilia acce-
dunt:cùm Senatūs consulta ad po-
pulum, quidve ſciviffet populus
ad Senatum referunt: quanta cum
trepidatione ordiuntur? ut hæ-
rent? ut repetunt? ut corrigunt?
imò in pejus depravant? pudet
exempla advocate.

Vestra igitur liberalitate P. C.
tam gravi soluta metu , quem de
liberis vestris conceperat, exultare
mihi videtur, & lætitiam quan-
dam præseferre Civitas ipsa , &
hòc potissimum humanitatem,
munificentiam , voluntatem ve-
stram probare: quòd sinè mora
petitioni meæ accessistis. Fortè
circiter Kalendas Quintiles, ani-
mi relaxandi gratiâ , ad Tybisci
ripam confederam , & sub idem
tempus naves aliquot quernis,
abjegnisque trabibus onustæ ap-
plicuerant ; cùm , nescio , quô im-
pulsu actus , à flumine rectâ ad
Curiam. Ibi pro humanitate ve-
stra considere jussus, priusquam Se-
natus dimitteretur, quæ merces ap-
pulsæ sint, quāmque ad structuram
hujus

hujus operis idoneæ essent, quām
denique theatrum ipsum, ad juven-
tutem instituendam necessarium
foret paucis retuli. Rogantur ex-
templō sententiæ: favent omnium
calculi: scribitur S. C. urbani ærarii
quæstoribus cura fabricæ demanda-
tur. O liberalitatem! ô munificen-
tiam! ô dignationem singularem!
ante ferè me beneficiō recreatum
sensi, quām desiderium aperui.

Plura de utilitate harum æ-
dium, plura de alaci, expedita,
hilari voluntate vestra P. C. dixi,
quām volui, & tamen ea, quæ
maxima sunt hujus argumenti mo-
menta prætermisi. Quæ verò
illa? civile bellum, imò inquilinæ
gentis latrocinnia, & bonorum
omnium trepidatio. Si namque

pacatis Provinciae rebus, de literis
benè mereri cogitassetis: in litera-
riæ Rep. annalibus, inter principes
Europæ civitates, quæ ubi longa
tranquillitate, pacéque diurna,
divitiis, opibus, facultatibus au-
ctæ sunt, ad excolendas humanas
disciplinas animum adjecerunt, pri-
mô locô esse jure optimo possetis:
quis vobis congrua gratiarum of-
ficia persolverit, qui nondum se-
dato tumultu bellico, cùm adhuc
frequentes perditissimorum homi-
num manipuli agrum urbanum in-
festarent, optimarum scientiarum
studia promovere voluistis? sed rem
altius repetamus. Variarum gen-
tium colluviem, quæ impiissimo
Græcorum Schismate implicatæ,
secessionem à Romano Pontifice
fece-

fecerant, & justa Numinis indignatione à Saracenorum exercitu suis ejeclæ sedibus errabant; Mathias Corvinus hospitii jure donatam sub fidem receperat. In his Rasciani, Valachi, Rutheni, ad nostram usque ætatem jam Turcarum, jam Regum Hungariæ imperio paruerant: ut nempe fortuna ferebat. Tandem annô sextò & decimô hujus saeculi, in potestatem nostram plenè redacti: sive quod à calamitatibus superiorum annorum, & à Saracenorum tyrannide nondum respirâssent, sive quod militis patrii frequentia, vi, formidine in officio continebantur; vivebant pacificè. Num per verò, cum regnum omne, vocato adversus Gallicanos mo-

tus exercitu, præsidiis destitutum
animadverterant ; sceleratissimi
quique , & ultimæ fecis homines
clandestina habere conventicula :
alter alterius perfidiam excitare :
rei præclarè gerendæ occasionem
in mentem revocare : conjuratio-
nis socios , libertatis , divitarum ,
boni communis spe undique con-
gregare : nefariæ denique latro-
num societatis antesignanum , du-
cem , imperatorem , profligatæ
magnanimitatis prædonem creare .
Erat hic gentilitiæ militiae Centu-
rio , statura mediocri , obeso corpo-
re , humeris vastis , canô capillô , bar-
bâ ad umbilicum protensâ , colo-
re fusco , vultu ad terrificam spe-
ciem composito : cæterùm animô
subdolus , audax , varius , inflam-

ma-

matus scelere , furore incensus ,
novarum rerum studiosus: Pero
nomine. Igitur cùm nihil minùs
expectaremus , ad sex hominum
nequissimorum millia , in exitium
nostrum conspirant, quos ex teter-
rima Valachorum,Ruthenorum,ac
cum primis Rascianorum colluvio-
ne, lucri cupiditas,contracta nomi-
na , patrimonium dissipatum, ad-
missorum criminum impunitas, ef-
frænis audacia , ulciscendi libido ,
libertatis iniquæ spes, furor, amen-
tia, perfidia in legitimum Princi-
pem , in Patriæ viscera , in Reli-
gionem Romanam armaverat.
Deum immortalem! quantum ubi-
que trepidatum est? quantum pa-
voris , quantum formidinis huic
uni Civitati incussum: cùm ho-
minum

minum malevolorum, imò latro-
num numerum, ad vicena millia
accrevisse nunciatum est? cùm ad
explendam cupiditatem, & ava-
ritiam, urbis hujus fortunas, à
perditissimis hominibus designa-
tas esse, fama pertulit? cùm præ-
sidium ipsum vix à quadringentis
Regis custodibus propugnatum,
in castinum obsidendum esse cer-
tis nunciis didicimus? habitus de-
lectus juventutis robustissimæ, ar-
ma viritim distributa, ordinatæ
stationes, machinæ bellicæ suis lo-
cis positæ; ut demum domestico
hosti, nova præsidii specie impone-
retur, nocturnis, diurnisque ope-
rarum laboribus, vallum, quod pro
mœnibus meridiem respicit, in
stellæ crinitæ formam eductum
est.

est. Quot noctes sub nudo jove
traductæ? quot sub casside, quot
in statione transfactæ? quoties ad
mœnia, ad portas, ad suburbana-
nas ædes concursum? quoties ad
repentinos motus, & tumultum,
quietis nocturnæ vices interceptæ?
mutatæ? ereptæ? quoties de sa-
lute Civium conclamatum? recor-
damini tempus illud miserrimum,
quô datô signô & ad hostium in-
cursionem reprimendam, sub pri-
mam noctis vigiliam, machinæ
bellicæ fragore excita Civitas ad
arma convolavit: quô Cives opti-
mi quadrato agmine, sublatis si-
gnis, sonantibus tympanis priùs-
quam Urbi propinquaret, hosti
obviam processerunt: quô Patres
liberis, mariti conjugibus, avi ne-

po-

potibus supremūm valere jussis;
ætatem omnem, sexum omnem
in lachrymas, in gemitus, in ulu-
latus concitârunt: quis calamito-
so illo die unicuique sensus? quis
mceror? cùm non ità de se, quām
de dulcissimis pignoribus, quām
de amantissimis Genitoribus,
quām de suavissimis Fratribus,
quām de Uxoribus, Patria, Re-
ligione quisque metueret? &
quamvis Deorum benignitate fa-
ctum fuerit: ut perditissimi ho-
mines nocturnis tecti tenebris,
opinione citius in fuga salutem
quaesiverint, & nullô illatô damnô
turpissimè terga verterint: injecta
tamen bonis omnibus trepidatio
eousque sollicitos nos ad unum o-
mnes tenuit, donec sacrilega illa
par-

parricidarum manus , internecione deleta est. O dignam æternâ memoriâ liberalitatem vestram P. C. quam calamitosa illa tempestate in hac fabrica collocâstis ! ô divinam in literas propensionem , quam turbatis Patriæ rebus in hujus structura theatri testatam fecistis ! ô favorem nunquam satîs explicandum , quo Scholas Pias alienissimo Reipub. tempore prosecuti estis !

Quapropter memoriam vestri beneficii colam sempiternam : non solum ego , Collegæque mei , sed dulcissimi liberi vestri , sed letissima juventus , sed adolescentes ingenui , quotquot literarum causâ ad nobile hoc Lycæum confluxerint . Vestræ illi munificen-
tiæ

tiæ in acceptis referent, quid
quid in loco isto dexterimæ hu-
manitatis didicerint: cuius ope
in foro, in curia, in templis, in
Regni comitiis, ad honores, ad
dignitates, ad gloriam aditum
sibi recludent. Contingere qui-
dem fatorum injuriâ potest: ut
theatri hujus moles vitium faciat,
ut eluvione, ut terræ motu, ut
hostilibus flammis evertatur: nun-
quam tamen ex animo juventutis,
ex annalibus Gymnasii, ex Reip.
literariæ tabulariis exciderit. Li-
beri vestri suis referent liberis,
quàm difficiili tempore, quàm ca-
lamitosis in motibus, alacritate
summa, impensâ magnificâ, de
literis optimè mereri voluistis.
Ego denique, qui nunquam vo-
bis

bis P. C. gratias satis dignè habere possum , nedum referre; sanctè polliceor: me non solùm dum animâ hac spiro, verùm etiam postquam fatorum necessitate sublatus vivere desero , in tenui hac lucubratione mea , accepti beneficii memorem semper fore.



DE CASTITATE
DIVÆ CATHARINÆ,
ORATIO XII.

Habita Prividiæ,
In Æde Sanctiss. Trinitatis,
VII. Kal. Dec. An. MDGCXXXIX.

EPISTOLA
AD ORATIONEM XII.

SCitabitur fortassè quispiam, cur in oratione hac, principium ad clarissimorum Patrum confessum, perorationem verò ad juventutem literariam direxerim? intelligat velim propositi mei fuisse, eruditissimorum Virorum humanitati, gratam aliquam vicem reddere, qui rigidissimæ hyemis asperitatem, & prolixioris dictoris importunitatem magnâ patientiâ tolerârunt: deinde hunc præcipuum orationis fuisse scopum: ut juventus scholastica ad purioris vitæ integritatem constandam incenderetur. Cùm enim uno eodemque tempore, celebrio-

ra

ra Scholarum Piarum Gymnasia
Nitriæ, Vacii, Pesthini, Szege-
dini, ac alibi lue pestifera infecta
cernerem; metuerem verò, ne idem
ipsum justitiæ divinæ flagellum,
Prividienses etiam Scholas corri-
piat; castimoniam Catharinæ
summis laudibus efferendam susce-
pi: quòd ab hac naturæ, & æta-
tis vitiò adolescentia faciliùs de-
flectat. Quod verò nobilius elo-
gium, quam prærogativam ma-
gìs insignem castitati attribuere
potui; quād Theologicas Catha-
rinæ virtutes ab amore munditiæ
dimandasse? sic etenim virginalem
pudicitiam commendare oportet-
bat; ut vetustissima consuetudo,
quā D. Catharinæ memoria re-
novatur, integra, & inviolata

servaretur. Nec me suscep*ti* la-
boris unquam pænituit. Quam-
vis enim ardentissima febri jacta-
ti, & mortiferis infecti maculis
complures fuerint; nullum tamen
(quod secundūm Divinum Nu-
men, Reginæ Cælitum patrocinio,
& D. Catharinæ procurationi
unicè adscribo) ex eorum nume-
ro amisi, qui se mibi erudiendos
crediderant. Imò, cùm potior
Civitatis pars, ex venalitiariis
componatur, qui honestè, rem
quærunt mercaturis faciendis;
compertūmque postea sit, merces
negotiationi expositas, nescio quo
errore ex locis pestiferis semel,
ac iterum allatas fuisse: singula-
ri tamen Divorum concessu ser-
vati sumus. Sapientissimè pro-
inde

*inde non nemo observavit, eam esse
Divorum immortalium naturam,
& propensionem ; ut se beneficiis
vinci à nullo unquam mortalium
patiantur.*

DE CASTITATE
DIVÆ CATHARINÆ,
ORATIO XII.

Longè, multumque vereor Patres clarissimi, ne anniversaria celebritatis hodiernæ amplitudo, paulò venustior templi facies, frequentissima eruditorum hominum concursio, hanc potissimum mentem inferat, hanc suspicionem alicui injiciat: propositi mei esse, sanctissimam D. Catharinæ vitam, decertationem, victoriam orando illustrare. Novi ego, utpote jam usque à puerō intima necessitudine mihi ipsi conjunctissimus, meam in eloquendo jejunitatem; novi, quæ, quantaque sit Catharinæ sanctimonia,

monia, honestatis aestimatio, cel-
fitas, magnitudo: denique nem-
inem unum esse, quem historicæ
memoriæ fides deficiat, quique
regias illius animi, & corporis
dotes ignoret, luculenter novi.
Quid igitur ex numeroſo lectissi-
marum virtutum comitatu ad di-
cendum deligam? quem orationi
ſcopum præfigam? nam ad exæ-
quandam ſpem, & expectatio-
nem veſtram, quos exquisitæ eru-
ditionis, & reconditæ literaturæ
fama dudum cognitos, ſumma
Numinis immortalis benignitate
corām adeſſe intueor: ad instau-
randam piissimam confuetudi-
nem, quam Majores nostri in D.
Catharinæ laudibus versari volue-
runt; vix aliquid usquequaque ido-

neum occurrit: quod propemodo
dum omnia, quæ, è re nostra
fore speraveram, à viris disertissi-
mis occupata, atque ex hoc ipso
loco magna eloquentiæ, & eru-
ditionis gloria sæpè numerò di-
cta esse sciam. Ergo amplissima
eloquentiæ facultas, usque adeò
arctis definiri terminis potuit; ut
nihil omnino reliquum sit, quod
gravissimô judiciô vestrô dignum,
in medium proponatur? omnem
Catharinæ felicitatem, sanctimo-
niam, triumphum uni castitati ac-
ceptum referri oportere, à nullo,
quod sciam, oratorum probatum
est. Ne tamen sit aliquis, qui
existimet, rem ludicram me di-
cere velle: indissolubilem virtu-
tum nexum diligenter attendat,
quô

quō castitati ità consociatæ sunt:
ut Gregorio Magno, *nullum opus
bonum sit sine castitate.* Tamet-
si verò probè intelligam, quòd
pro singulari vestra pietate, quâ
D. Catharinam colitis; quòd pro
doctrinæ cultione, quâ eloquen-
tiæ studia promovetis, hōc animō
ad locum istum accesseritis, ut
me benevolè, ut attentè audiatis:
ne tamen partibus meis deesse vi-
dear, quæso vos, usque eò ade-
ste animis; dum sanctæ Cathari-
næ divinissimam fidem, spem ro-
bustissimam, charitatem ardentissi-
mam, ex virgineæ integritatis
cultura enatam esse, palam de-
monstrem. Hæc tria cùm dixe-
ro, perorabo.

Si

Si ultimam Catharinæ pueritiam recordemur, ea morum integrorum honestate resplenduit, quâ spectatissima indoles, & artes ingenuæ, quibus ad humanitatem à pueris informamur, in adulta etiam ætate perpaucos inficiunt. Catharina quippe domo clarissimâ, & nobilissimis, vetustissimisque Majorum ceris inclytâ, Alexandriæ Urbe celebri lucem aspexit: jámque inde à prima pueritia, tam ardenti pietate virginalem pudicitiam adamavit, ut, quò hanc integrum, incorruptamque asservaret; humaniorum literarum urbanitatem cum gravissimarum scientiarum dignitate, in subsidium advocaverit. Quid verò incredibili hoc innocentiae reti-

retinendæ studio assecuta sit nōsse
cupitis? castissimum Mariæ ani-
mum perinde sibi devinxit; ut,
posteaquam religiosissimis ejus-
dem monitis instituta, & ad
Christianorum sacra transire jussa,
saluberrimis divinæ lavationis fon-
tibus abluta est: unico Virginis
Filio, castitatis annulō, datæ, &
acceptæ fidei præde, fuerit de-
 sponsa. O admirabilem purioris
vitæ elegantiam! venustatem! gra-
tiam! quâ unâ, *speciosus formâ*
præ filiis hominum capi potuit,
castosque Catharinæ amplexus ex-
petere. O incredibile virginita-
tis robur! quô, supra sexūs im-
becillitatem animis aucta, sacrile-
gii arguit Maximinum: iterum,
ac tertium oblata munera, hono-
res,

res, Magistratus, regias nuptias, imperatorum diadema constan-
tissimè respuit; imò fame, sitique
confici, igne, & ferro vexari,
vitam denique cum sanguine pro-
fundere delegit; quād datam se-
mel cœlesti Sponso fidem infrin-
gere; aut purissimas animi, &
corporis nives quoipiam nævo in-
quinare. Tantum interest, à pri-
ma adolescentia, ab incesti amo-
ris ignibus abhorrere.

Quæ, si ità sunt, quemadmo-
dum Græci, & Latini Scripto-
res memorant; ea castitatis pro-
pugnandæ curâ agebaris, ô San-
ctissima pudoris Procuratrix! quâ
duce, quâ magistrâ, ad admirabile
lumen fidei, à fide, ad spem
vivam, ab spe, ad amoris divini
fasti-

fastigium quām felicissimē evasi-
sti. Neque tamen propositi mei
fuerit, itā me Dii ament! ab spe-
ctatissima Angelici Præceptoris
doctrina, vel latum unguem de-
clinare, atque per summam igna-
viam, ad factionis adversæ castra
turpè desciscere: aut ea, quæ, de
favoris cœlestis præsidio dicenda
venient, ad subtilestes Theologo-
rum ratiocinationes revocare,
pressóque pede, arduam schola-
sticorum momentorum, & argu-
tiarum viam decurrere; verūm
quidquid in præsenti afferetur; il-
lud omne, pro oratoria facultatis
libertate, vocum singularum,
& continuatarum ampliori notio-
ne usurpabitur. Neque vos P. C.
à sententia dimoveat, nota illa
Ser-

Servatoris indignatio: cùm vul-
tum Divinissimum, *in quem desi-
derant Angeli prospicere*, aliò à
Diva Catharina deflexerat: quòd
etiam tum labe hæreditaria in-
quinatam, atque adeò læsæ Divi-
næ Majestatis ream intueri fastidi-
ret. Hæc enim amabilissimi pue-
ruli, ab uberibus Matris gratia-
rum pendentis indignatio, eò
potissimum spectabat: ut Catha-
rinam, à profanis gentium cæri-
moniis, ad cultum unius, verique
Numinis traduceret; castissimô
amoris vinculô sibi devinciret; ad
caducarum rerum despiciatum in-
clinaret; in meliorem spem, &
vitæ beatæ expectationem erige-
ret. Quis jam satis explicet di-
spares, longèque dissitas ratio-
nes,

nes, quibus Deus Opt. Max. in promovenda salute nostra uti consuevit? quis assequatur benignitatem, misericordiam, patientiam Numinis? patientiam, cum conivet: misericordiam, cum ignoscit: benignitatem, cum allicit, movet, excitat, impellit?

Mihi sanè, gratiæ Divinæ ubertatem diligenter recogitanti, primùm in causas funestissimæ calamitatis inquirere placet; qui fieri possit: ut plurimi mortalium, ab aditu hæreditatis æternæ arceantur? ac unam inertissimorum hominum ignaviam, quam plurimis officere reperio. Deinde, celebrem Theologorum nostrantium doctrinam vehementissime probo, laudo, amplector: auxi-

A a lia

lia cœlestia, quæ sufficientia Scholæ nominant, nequaquam hære-re otiosa; verùm plenæ, ac perfectæ conversioni viam sternere, ac nonnullos meliores actus, quanquàm minùs perfectos, & absolutos sæpenumerò proferre. Tanta quippe est providentiæ Di-vinæ vis, ac adversùs unumquémque homunculum propensio: ut, cùm, *neminem perire velit*, certam ac expeditam cuilibet occa-sionem porrigat: quam, si pro liberæ voluntatis jure non fasti-diverit; in spem firmissimam vi-tæ æternæ possit assurgere. Et hinc fortassè est, quòd Theolo-gus, idémque Angelici Doctoris nomine spectatissimus, literis com-mendare voluerit: usque adeò fœ-

cun-

cundam, cœlestis favoris communionem, in terras defluxisse; ut neminem unum repereris, qui, sive apud gentes barbaras, ac à veræ religionis cognitione alienas adoleverit; sive inter brutas pecudes, procúlque ab omni hominum convictu in virum excreverit: aut interiore animi illustratione, aut manifesta Angeli cœlo delapsi institutione, ad veræ fidei agnitionem pertingere non valeret.

Sed, quid ego ultrò citróque dispersa conglabo? Catharina locupletissimi testis vicesobeat; quæ accepta virginitatis tuendæ instigatione, nequaquam concidit animo: sed verò usque adeò magnos, in castimoniæ studio progressus

fecit; ut patrocinium Mariæ merita omnino sit. Quid ultra? hâc ipsâ integerrimæ vitæ honestate consecuta est: quòd ad perspicientiam superstitionis religionis impuritatem, ad suscipiendam gratiam baptismatis, ad Sponsalia cum unico Virginis ineunda accesserit. Hoc igitur fixum, & in perpetuum ratum P. C. habeatis: solertissimam pudicitiæ culturam, ad quam, à natura facta videbatur Catharina, Divinæ lucis radium fuisse: hâncque prænunciam solis justitiæ auroram, in clarissimum Christianæ fidei meridiem accrevisse. Enimverò aspernata cœlestem permotionem, ad turpificatæ voluntatis fordæ animum convertisse; nunquam, Mecaſtor!

inte-

integerimum Mariæ animum ,
huc perduxisses: ut te primis fi-
dei rudimentis informare , Uni-
genæ despondere , quinquaginta
Philosophorum Magistrum crea-
re, sexcentisque cumulare bene-
ficiis festinâsset. Quod ipsum ,
ex hominum perditissimorum ob-
stinatione intelligi potest. Sive
enim naturæ in pejus propenden-
tis ductum secuti , atque , ut bru-
tæ cupiditatis illecebris liberiùs
indulgeant; ab Romana Religio-
ne discessionem fecerint: sive vi-
rus pestilentissimum cum nutri-
cum lacte suixerint , atque adeò à
prima pueritia vitiis dediti , fru-
galem , castam , sobriam vitæ ra-
tionem detestentur: sive ex civi-
lis honestatis respectu , deprehen-

fos errores ejurare negligant: sentiunt tamen arcanam quandam impulsionem, quâ sæpenumerò excitantur: ut tandem aliquando ex fœdissimo criminum cœno emergant, & se ad frugem meliorem recipient. Quia verò, piam hanc affectuum concitationem nauseant; vanis opinionibus irretiti attinentur.

Religione Virginis, & Martyris demonstratâ, spei firmitudinem attendite. Siqua Philoso pho, ac secundum hunc Peripateticis fides haberi debet; debet autem omnium gentium confessione tanta, quanta maxima esse potest: nihil omnino rationali agendi modô inchoaverimus, nihil ad exitum perduxerimus; nisi ea

ea omnia; quæ perficienda suscepimus, ad finem aliquem referantur. Finis autem, vel naturæ legibus, & inextricabili causarum coordinatione rebus præfigi solet, vel pro libertate humanæ voluntatis accersitur. Quæ, cum in hunc modum sint; hercùs sine dubio incredibili divitiarum, honorum, voluptatum contentioni modum præscripsit, & terminum constituit Catharina. Quem, si nullum alium, à virginæ integritatis amore mecum dicitis; si nunquam intermissam pudicitiæ cultionem, *ad expectationem venturæ gloriæ, quæ, revelabitur in nobis*, cum Catharina refertis: bene habet. Jam sacrilegam, ad profanas idolorum

aras facientium religionem de impietate ream arguerat, & quantum per sexuin, per ætatem, per authoritatem privati hominis fieri potest, condemnaverat; jam consceleratissimorum hominum vitam, quorum simulacris divini honores habebantur, libidinibus infamem, ex veterum Poëtarum libris commonstraverat; jam clarissimos, & amplissimos Græciæ Sapientes, cœlestium momentorum vi, ad veri Numinis cognitionem pertraxerat; jam minas, atrocissimamque carnificinam inexpugnabili fortitudine superaverat Catharina; ecce tibi! tyranus callidissimus, humanitatis expertem vultum, ad commiserationem, ad lenocinia componere,

copiosissimarum facultatum usu-
ram polliceri, Regiae magnificen-
tiæ delicias offerre, magnificos di-
gnitatum titulos deferre, regii con-
nubii spem facere, ad sceptri, ad
coronæ communionem vocare.
Quid ad hæc Catharina? *Posuit in*
homine spem suam? aut speravit in
pecunia, & thesauris? haudqua-
quam. Tria hæc, eadémque in
illecebris facile prima: locupletem
rei familiaris copiam, & amplissi-
marum fortunarum opulentiam:
superbos honorum gradus, & di-
gnitatum ornamenta: incestæ cu-
piditatis lenocinia, & blanditia-
rum flagitiosissimas corruptelas,
validissimō castitatis clypeō retu-
dit, rejecit. Probè enim nove-
rat, nihil quicquam eorum, quæ

usque eò splendide, ac liberaliter deferebantur, citrà turpissimam sacrilegii notam, citra inexpiablem castitoniæ jaæturam admitti posse: quòd malitiosæ pollicitationis invitamenta eò potissimum spectarent, ut honestiori, ac innocentî mentis, & corporis munditiæ nuntium mitteret, & hōc flagitiô, per sacramenti fidem, corām innumerabilitate Civium cœlestium, cum mentium castarum amatore Christo Jesu inita Sponsalia antiquaret. Currite huc, ocyūisque accurrite, quotquot tenuerrimum pudicitiae flosculum, infragilis corpusculi infirmo vase, satis incautè circumfertis! discite plena discriminis, plena periculi munuscula aspernari: discite frau-

du-

dulentas donationes, invitamenta scelerum præfracta firmitudine animi rejicere, repudiare. Quòd utinam improbissima lenocinantium dona, quibus verecunda pudicitia et integritas sæpenumerò expugnatur, ex omni Christiano orbe; sed quorsum me intempestivè fervor præcipitem rapis? amoris cœlestis flamas, quibus Catharina in dies magis, ac magis incaluit, paucis exequamur.

Quotquot saniori consilio, inexorabilem fatorum necessitatem damnavimus, quam Democritus, Heraclitus, Empedocles, cæterique Stoicorum olim profitebantur; ita nos à natura factos esse luculenter cognovimus: ut voluntariam, ut liberam affectio-

num sedem, in ipso humano corde domicilium habere agnoscamus: ubi lætitiae, metus, cupiditates, molestiae, cæteræque impulsiones hospitium sortiuntur. In affectibus autem, vim accerimam amoris esse existimo. Neque à visis hominibus, usque eò barbara, effera, ac ab humanitate aliena natio exsurrexit; quæ necessitudinis, quæ familiaritatis dulcitudinem, quæ conjugii re-promissionem penitus ejurâisset. Certè Romanorum Matresfamilias, quæ, in viri manum converant, adeò indissolubili amoris, & societatis vinculô Maritis adhærebant: ut nullô aliô, quam fatali mortis ictu potuerint disociari. Jam unum cedò hominem,

qui

qui Catharinæ dilectioni injuriam
irroget ? siquidem Catharina ,
jam usque à primo die Sponsionis ,
tam sollicitè castissimo JESU Chri-
sti amori respondere cœpit ; ut
ipse moderator temporum sol ,
tam ardens dilectionis studium
susplexerit . Quis enim , Deum
immortalem ! admiratione defi-
xus non hæreat ? si inauditam
crudelitatem secum ipse reputet ,
cui ultrò se se obtulit Catharina :
ut unicum Patris æterni Filium ,
qui prior vitam cum sanguine , in
ara crucis effuderat , redamaret ?
quis cogitatione asséquatur tener-
rimæ Virginis magnanimitatem ,
tolerantiam , fortitudinem ? quæ
sextum decimum . ætatis annum
ingressa , inter efferatam lictorum
bar-

barbariem, inter crudelissimorum
impietatem tortorum, magnô
animô perstigit? vincula, verbera,
eculeum, acutissimis ensibus instru-
ctam machinam, mortiferam car-
nificis securim non expavit. Et
quamvis officiosa simulatione, ma-
lum omne effugere posset; elegit
tamen Virgineam integritatem
sanguine, & vitâ obsignare.

Quare, nemo sit, qui existi-
met inexpectatam castioniæ
laudem ultra fidem, & modum
effictam esse; cùm unusquisque cla-
rè intelligat, eò *Sanctam*, & *Im-
maculatam Virginitatem olim e-
vasisse*: ut quem cæli cælorum non
capiunt, maternô gremiò com-
plexa, virginali lacte nutriverit.
Sed, neque fieri potest; ut piissi-
ma

ma Mater, quæ prima omnium,
 intaminatae pudicitiae florem, Deo
 immortali devovit, integritatis
 propugnandæ solicitudine non
 capiatur. Felix proinde, iterum
 iterumque felix Alexandrina Vir-
 go, & Martyr Catharina! quæ
 pudico corporis, & animi cando-
 re, ita sibi Mariæ pietatem, gra-
 tiam, benevolentiam conciliavit:
 ut ab hac primis fidei rudimentis
 instituta, & terrena cœlestibus
 posthabere edocta, atque ad re-
 damandum æternum Sponsum in-
 flammata, duplici Virginitatis, &
 Martyrii laurea insignis, servatæ
 pudicitiae præmium, gloriam re-
 ceperit sempiternam.

Faxit amabilissimus castrarum
 mentium Sponsus Christus JESUS,

&

& piissima Catharinæ prece exoratus, eam vobis Juvenes lectissimi mentem injiciat, cuius conscientiâ excitati, cuius ductu, ad amorem pudicitiae accensi, itâ bonarum artium disciplinis vacetis; ne innocentiae, ne pudori, ne integritati vestræ, labem aliquam aspergi patiamini. Faxit Catharinæ rogatu placata misericordiarum Mater Maria, & pietatis suæ obtutus, in acerbissimam Regni Mariani calamitatem deflectat; ut deploranda vastitas, ut desolatio, quæ judiciis, quæ Magistratibus, quæ Sacerdotum Collegiis, ex contagiosa lue, & gravioris cœli injuriis imminet; ab aditu Civitatis hujus prohibita, omni regnô propediem arceatur, propellatur, exturbetur. DE

DE EXPEDITA RATIONE
PHILOSOPHIÆ
STUDENDI,
ORATIO XIII.
Habita Prividiæ,
Ad Juventutem literariam,
Prid. Kal. Jul. Ann. MDCCXL.

EPISTOLA
AD ORATIONEM XIII.

Cum anno tricesimo nono, supra millesimum septingentesimum, gravissima contagio, universam ferè Hungariam pervasisset; numerosissimique juvenes Prividiā confluxissent literarum humaniorum gratiā; & in his, ex eorum numero non pauci, qui se mibi anno superiore, in disciplinam Nitriæ tradiderant, indeque tempestivè effugerant: ad exitum mensis Junii, Dialecticen sibi tradi iterum, ac tertium poposcerunt. Quorum æquissima desideratio, non potuit mibi justa non videri: temporis tamen brevitate deterrebar. Ut proinde utilissima-

marum dierum consumptionem redimerem, quam, ex prolixiore dictatione, non incertam metuebam, conatus sum discipulis suadere: ut libellos ex omni vicinia colligant, quotcunque ad propositum facere viderentur. Sperabam enim fore; ut potior juventus unum, eundemque Autborem ad Scholas adferat: in quem finem hanc etiam dictiōnem habui. Verū spe mea frustratus consilium mutavi. Nam, cùm pro se quisque contendit, ut, è latebris in lucem protrahat, si quem fortuna dialecticum ostendisset; tam variæ opinionis, ordinis, instituti libelli ad manus mihi venerunt, ut delectum habere nullò modō potuerim. Quamvis ergo communem dictandi modum sequi

*compulsus, laborem omnem, quem
susceperam feliciter consummave-
rim; quia tamen temporis dispen-
dium, citra dolorem ferre non potui;
illud omne, quod in præsentem mate-
riam conscripseram, eò animo, in
publicum protuli: ut longiori defa-
tigationi allevamentum concilium.
Quanquam, ut quod sentio, pa-
lam confitear; non deerunt sum-
mæ authoritatis, & eruditio[n]is
homines, quos in hanc eandem
sententiam propendere exploratum
habeo. Quia tamen Majorum in-
stituta, sinè gravi perturbatione
ordinis, sinè collisione opinionum
innovari vix solent: quia diuturna
consuetudo Philosophiam exscri-
bendi invaluit: eò animo, quæ
dicturus sum accipias; ut varie-
tate*

tate lectionis recreeris. Quod si fuerit quispiam, qui sibi persuaderi sinat, inutilem esse scribendi rationem: is per me licet, quod animo concepit, exequatur.

DE EXPEDITA RATIONE
PHILOSOPHIÆ
STUDENDI,

ORATIO XIII.

TAmetsi temerarium, & info-
lens videri possit, quod in-
expertus ego, quique omne prope-
modum ætatis meæ tempus, in hu-
maniorum literarum cultionem in-
sumpsi, de expedita ratione, quâ
graviores disciplinæ commodius
pertractentur, verba facere atten-
taverim; quia tamen non tenerita-
te ingenii, non imbecillitate remi-
niscendi, non laborem declinandi
vitiositate, verum gravissimi mor-
bi vehementiâ occupatus, à se-
riorum scientiarum magisterio
abstinere astrictus sum: quid æta-

ti

ti vestræ, quid desiderio, quid utilitati magis consentaneum animo conceperim, palam proferre non verebor. Ne tamen præmatura credulitate abrepti, suspicemini me nova moliri, ac de veteri Philosophandi confuetudine aliquid immutare velle: non is ego sum, qui tantum audeam; nec si maximè auderem, rerum mearum conditio pateretur. Una quæque enim Peripateticorum secta, quæ potissimum in tres nobiliores familias dividitur, clarissimos, & omni eruditionis genere instructissimos propugnatores numerat; in quorum comparationem, ego venire nullò modò possum. Præterquam quod nihil unquam tam potens, tam

magnificum futurum est, quod me à spectatissima, & toto orbe celebratissima doctrina avocet, quam divinissimus Ecclesiæ Catholicæ Praceptor Thomas, idemque fidelissimus Aristotelis interpres, omnium sæculorum memoriae consecravit. Quid igitur novi, aut præter consuetudinem dicturus sum? profectò nihil à me dicetur, quô aut injuria sapientiæ amatoribus inferri possit; aut indignitas nostris studiis procreari. Videlicet, ex cujuspiam Authoris codicibus, quos librariorum operâ scitè elaboratos esse oporteret, utilius, faciliusque Philosophiam edisci posse: quam eam primùm inscribere chartis, tum memoriâ, & intellectione

com-

comprehendere. Unum tamen ante omnia oro, & vehementissimè expeto, ne cui minor expectatione sua, videatur causa litis meæ: non enim debet ante oculos vobis obversari: quòd vetustissima Philosophiam exscribendi consuetudo, res perquām exigua sit; sed quædam in R. P. literariam invehat, quæ incommoda faceat, placidè, & toleranter audite.

Et utinam mihi primo aditu orationis, in memoriam revocare: Utinam tanquam in speculo effictum, intuentium oculis subjicere liceret, stomachosum illud fastidium, quod in laboriosissima exscribendæ Philosophiæ necessitate molestissimè pertuli: Utinam

acerbam plurium mensium molestiam, quam ex prolixo calami tractatione enatam, hercè difficulter devoravi, vivis coloribus adumbrare possem: inexpectato metu perculsi, omnibus artubus contremeretis. Quid enim aliud fuerit, perpetua infinitarum quæstionum scriptura, quam crudelissima, ac fœcundissima officina; in qua truculenta, aspectuque horrida liturarum, mendorum, decurtatarum vocum, hiantium syllabarum, adulteratarum sententiatarum portenta, bene magnō numerō, in dies procuduntur? ad hanc damnati miseri adolescentes, & assidui sessūs legibus, quasi malefactorum catenis consticti, heu! quanto cum literarum dispens-

spendio, serò quamvis, serìò at-tamen sentiunt: quòd immanissi-ma hæc carnificina, vernantem ætatis florem præmaturè deco-quat; quòd clarissimum oculorum jubar lippitudine offundat; quòd nervorum, venarum, arteriarum communionem, vitalémque cur-sum intercludat; quòd sexcenta-rum ægritudinum colluvionem, dies, & noctes sedeculæ colliga-tis ingeneret, Scriptoribus, atque adeò extremum fatorum tempus maturet.

Si autem in libello nitidiori-bus typis excuso, ediscenda pro-poneretur sapientia; quis non vi-det, citra tantam, tamque fre-quentem jacturam salutis, tantun-dem addisci omnino posse? aut enim

enim in amœnis ridentium prætorum pulvinis eruditio vacare otio, aut inter cancellorum intercolumia lectitando deambulatum itare, aut in suburbanis hortorum deliciis, deambulatiunculam lectiunculis conjungere, majori alacritate, fructu, facilitate, quid ni, & bonæ valetudinis curâ, utilitate, conservatione unusquilibet eligeret?

Sed hæc utcunque tolerabilia videbuntur; illud autem quis sinè lachrymis meminerit: quod ingenui adolescentes, qui acre, & perspicax ingenium, ad pervidenda naturæ, & artis arcana attulerunt, qui forti, ac bene comparatō animō, & corpore, ad pulcherrimam severiorum literarum

rarum cognitionem accesserunt ,
vix tandem perendie relegere ea
ipsa possint , quæ chartis hodie
inscripsere ? quis ferat , cùm quo-
tidie viderit eos , qui , pro maje-
state personæ , quam sustinent ,
oracula reddere deberent ; men-
dosa discipulorum scriptione , ad
jocos , ad relaxationem animi
abuti ? datâ operâ , summa sa-
pientiæ capita , quàm celerrimè
dictare ? erroribus exscribentium
gaudere ? impatientiâ exhilarari ?
O præclarum profectûs literarii
desiderium ! ô dignam Philoso-
pho solitudinem ! Quia verò
quotidianos calami lapsus , quàm
studiosissimè occulunt : ne videli-
cet stomachum doctioribus mo-
veant ; unum ego lepidissimum ,

&

& funestissimum, in apricationem evocabo. Fama, & clarissimi Viri referunt, quos mihi testimonium reddituros certò scio, memoriâ nostrâ, unum aliquem Patritii Ordinis adolescentem, eō animô peregrinari gestiisse; ut exterarum nationum literaturam patrio solo inferret. Ergo, in celebri quadam Academia peregrè numeratus, ac inter alia: *objetum materiale Philosophiae rationalis*: scribere jussus, per barbaram, nescio quam synecphonestim: *obitum malæ philiæ*: chartis inferuit. Ofœdissimam errationem! quam utrum risu, an commiseratione prosequar? aqua mihi hæret. Absit tamen ab animo vestro opinio, scriptoris hu-

hujus infelicitatem salibus, aut cavillationibus terminari potuisse; verùm res faceta primùm, qua ratione, in acerbissimum luctum desierit; accipite. Peregrinus hic adolescens, qui prima literarum fundamenta, tantâ diligentia, quanta maxima haberi potest, feliciter jecerat, alienigenæ juventutis cachinnatione expulsus, contumeliis oneratus, convitiis laceffitus, non solùm ipse sibi, in assequenda Philosophiæ cognitione desperavit; verùm etiam, ad abolendam notam, quam sibi, quam familiæ suæ inuri ægerrimè ferebat: militiæ nomen dare: non domum, non patriam, non genitores optimos cogitare decrevit. Quô properas extermina-

minate scriba? quô profuge Philosophe contendis? nescis, heu! nescis, quæ te fatorum acerbitas expectet. O cœcam ulciscendi cupiditatem! quæ eam ipsam navim, quâ vehitur, perforare pergit. Paucis quippe post mensibus, facta temerè in hostium castra impressione, bellicæ machinæ lethali pila secundùm tempora percussus, puncto temporis occidit, & in ipso juventutis flore vivit. Ecce tibi! quorsum juvenem nobili loco natum, formæ dignitate, ingenii acrimonia, fortunæ donis, humanitatis legibus ad elegantiam exultum, intempestiva scribendæ Philosophiæ consuetudo præcipitavit? huic certè, si melioris notæ codicillus ediscen-

scendus contigisset; non est dubium, quin ab immatura fatorum violentia servatus, & aut in Sacerdotum collegium cooptatus rem Divinam promovere, aut R. P. negotiis admotus, majorum suorum gloriam exæquare studuisse.

Sed utinam, ad exaggerandam malorum gravitatem, quæ à violentia scriptionis diminant, integrum mihi foret, misellorum juvenum numerum inire, qui per rei domesticæ angustias, à primis Physicorum libris, ad rusticationem avocantur: cùm tamen magno futuri erant bonis literis decori, nobili sanguini ornamento, præsidio Patriæ & utilitati; si cursum studiorum, ad felicem exi-

Cc tum

tum perduxissent. Perduxissent autem, ità vivam, modò tantundem diligentiae pervolutando meliori Philosopho tribuissent; quantum Dialectices, & Logices scriptioni, plurium mensium spatiō impenderunt. Utinam fletus, lamenta, querimonias eorum exaudire possetis, qui confectō Philosophiæ studiō, elegantiūs characteres formandi docilitatem, amisisse se nequicquam deplorant. Hāc enim tempestate, vix alia aliqua via, ex humili conditione assurgendi patet; vix alii ex ipso Equestri ordine ad Curias, ad Magistratus, ad Præturas assumuntur, quām, qui emendatè, qui eleganter, qui castè, purè, integrè scriptitare didicerunt. Quid autem,

autem, à quotidiana, eadēmque celerrima dictatione aliud expētes, quām cultioris scripturæ imminutionem? contingit proinde quām plurimis: ut ita indigestum, maçulosum, perturbatum scribendi modum combibant: ut divinatione opus omnino sit, ad eorum scripta relegenda. Et quamvis nullum non moveant lapidem, ut expeditum iter ad gloriam, ad fortunæ dona, ad dignitates sibi patefaciant; nihilominus actum agunt. Nam, à civili æquitatis cognitione rejecti, à Publicanorum, Censorum, Quæstorum officiis, verbô, ab omni tabulario repudiati, quô se vertant? neisciunt. Quæstuosas opificum artes exercebunt? at hæ sordidæ

Cc 2 sunt,

sunt, & homine scientiis libera-
liter instruēto prorsus indignæ.
Arare terram, sulcos altius im-
primere, factam sementem occa-
re, adultam metere, in horrea
inferre, à paleis perpurgare in-
stituent? præterquam, quod ad-
modum laboriosa sit rei agrariæ
procuratio, omnem agriculturæ
rationem penitus ignorant. Ar-
mentorum custodiam, reliquo-
rumque pecorum curam susci-
pient? Philosophum in pecuario-
rum societate censeri, perhorre-
scit animus cogitare. Quorūsum
igitur operam suam convertent?
quod vitæ genus auspicabuntur?
apud exhaustum, decrepitum, &
in obscura villula exactæ ætatis
ludi magistrum fortunam tandem

nan-

nanciscentur. In quas miserias, & ærumnas, & calamitates perpetua scribendi necessitudo missellam conjicis juventutem?

Jam verò de ipsa sapientia quid dicam? reformidat animus meminisse, quām hæc malè ab inveterata scribendi, describendi, exscribendi, perscribendi consuetudine habeatur. Ipsi illi, qui principem hanc virtutis, qui amplissimam benè, ac beatè vivendi scientiam profitentur, tot eam ludicris disceptationibus, supervacaneis quæstiunculis, captiunculis perturbatam, dispersam, disolutam effecerunt: ut quoties tibi philosophandum fuerit; nisi novis, & inexpectatis difficultibus, audientium animos, in ad-

mirationem conjicias; in Philosophorum numerum venire, sellam, pallium, nomen retinere, nusquam possis. Quod si uni, aut alteri contingat: ut ita fortis, & animosus videatur; quod apud semetipsum firmè constituat; nihil eorum, innovare, quæ, ad sapientiæ culturam pertinent; qui que ita animô comparatus sit, ut omni conatu velit in verba Magistri sui jurare: hic ipse, aut ad verbum omnia, quæ olim summa defatigatione corporis, & naufragiâ animi chartis illiverat, discipulis exscribenda commendabit; aut, ut novi aliquid attulisse creditur, rationum momenta, sententiarum pondus, consecutio num veritatem, intacta quidem finet,

finet, verum novae collocationis mollitudine, veteres opiniones convestire conabitur. Si primum? nulla insanitas major cogitari potest, quam rem prorsus unam, ex libro in macrocolum, inde in chartam transferre. Si alterum? mille aberrationes se se offerent, imo, quod paulo ante propugnatum est, in questionem reocabitur.

Ne porrò in hac causa odii, & periculi plenissima multus videar, in jus vocare nullo modò volo: qui fiat, ut arcana sapientiae instituta, quæ in singulos dies, concitatissima trium horarum scriptione tabulis inferuntur, exigua unius horæ morulâ ad captum discipulorum, satis luculenter expli-

centur? rem tamen omnem, ad altissimum virorum gravissimo-
rum judicium rejicio, qui expla-
nationis, & interpretationis vim,
naturam, conditionem plenius
assecuti sunt.

At verò, dicet aliquis, quo
vultu ingenui Adolescentes Dia-
lecticæ præceptiones, Logicæ A-
nalyticæ, Topicæ, Sophisticæ (ut
vocant) Priorum item, ac Poste-
riorum commentarios, octo Phy-
siorum libros, præter opuscula
de anima, de causis, Ædepol!
integralam bibliothecam circum-
ferre, cùmque his, nundinantium
ritu, plateas obire assuescent? ea
certè facilitate, quâ tyrones mi-
lites cassidem, clypeum, hastam,
& militare cingulum. Ad hæc:
quis

quis vetat in dena , aut duodena
volumina opus omne partiri ? ne-
que enim uno , eodemque tem-
pore omnia usui esse possunt.

Quid ergo dicent iterum, for-
tunæ tenuioris juvenes , qui tot ,
& tanta volumina mercari , per
egestatem minimè possunt, ab e-
ruditione , à sapientia arcebun-
tur ? neutquam. Nam , qua ar-
te olim , cùm adhuc immaturō
judiciō essent , cùm puerili do-
ctrina inficerentur , ingentes
Grammaticarum institutionum li-
bros , Ciceronis , Sallustii , Q.
Curtii , Horatii , Virgilii , Ovidii ,
Martialis opera , reliquāmque hu-
maniorum disciplinarum supelle-
ctilem studiosè sibi comparave-
rant , eandem industriam adhi-

beant in Philosophicis volumini-
bus coëmendis: salva res est.

At, rursus objicient: dissimil-
limas Philosophorum sectas, in
præcipuis doctrinæ capitibus nun-
quam convenire posse; quod ta-
men legitima consecutione infer-
retur; si ubique gentium eosdem
libros discipulis ediscendos pro-
ponerent. Una quælibet secta,
suas sibi habeat opiniones; mo-
dò unum aliquem, eundémque
partium suarum studiosissimum
Authorem deligat, quô juventu-
tis vota, quô desideria plenè, &
cumulate expleantur.

At verò, quærent postremò:
quis tu es, qui auream ingenii,
& doctrinæ libertatem intercips?
qui usque adeò arctis, & angu-
stis,

stis limitibus, Artium Libera-
lium Præceptores includis? in
eandem prorsus libertatem, intra
terminos tamen familiæ tuæ, te
vindico: cùm enim quæstiones
aliquot, ità intricatæ videantur,
ut in utramq; partem probabiliter
inclinent; si fortè à dissidentium
partibus esse velis; nullô nego-
tiô versus perpaucos in adversâ-
ria retuleris, quos citra fastidium
discipuli exscribant.

Sed, fac ità esse, & omnis
evagandi facultas ipsis Philo-
phiæ Magistris præcludatur: Ut-
nam nunquam inenodabilis sen-
tentiarum varietas, & licentia in
Christianam Rempub. irrep̄sisset!
utinam conatum illum, conten-
tionem illam, quam ad disputan-
dum,

dum, de rebus inutilissimis adhibemus; pro evertenda infidelium pertinacia, pro expugnandis Hæreticorum erroribus, tandem aliquando convertamus!

Sed, quorsum ista ego dispu-to? nam ità sit; quòd importuna scriptione, campus aperiatur pa-tentissimus, in quo, per superva-caneas quæstiunculas, per diffi-millimas opinionum species, per luxuriantis ingenii subtilitates li-center spatiari possit novarum re-rum studiofa ambitio: quòd emen-datè, nitidè, aptèque scribendi fa-cilitas, usus, consuetudo deper-datur; atque adeò tenuioris for-tis Adolescentibus, omnis ad glo-riam, omnis ad divitias via præ-cludi soleat: quòd temporis, & sum-

sumptuum ja^ctura enascatur: quod usque eò depravata scriptura prodeat; ut relegi nullô modô posfit: quod melior valetudo in extremum discrimen conjiciatur quam frequentissimè: ita, inquam, se res habeat: utrum mihi integrum fuerit, inveteratam scribendi consuetudinem, in melius permutare? privati hominis conditio vix patitur. An, tot eruditissimorum hominum sententias damnare, usitatum docendi modum reprobare audebo? minimè gentium. Quid igitur? ad redendum tempus, eloquentiæ studio maximè idoneum, utilitati vestræ magis deservire profiteor, Dialecticas institutiones, ex luculentí cujuspiam Doctoris codice ediscere;

scere ; quam prolixâ scriptione
corpus prosternere, animum pes-
fundare, vexare, perturbare. Cæ-
teras demum Philosophiæ partes,
quod attinet ; cumulatè mihi sa-
tisfactum sentiam ; si palam fate-
ri nemo vestrūm verebitur : me
rem , si non admodum necessa-
riam, certè non inutilem
cogitasse.



DE PATROCINIO
DIVI JOANNIS
NEPOMUCENI,
ORATIO XIV.

Scripta, non habita, pro Ædicula

Domûs Rosenbergensis

Apud Scholas Pias ,

Annô M D C C X L I.

EPISTOLA AD ORATIONEM XIV.

Hanc dictiōnem ad XVII. Kal.
Maji, in ædicula D. Joāni
Nepomuceno sacra habiturus,
eorum jussu, quorum arbitratu
Religiosa Familia nostra regitur,
avocatus, quod animo concepe-
ram, exequi minimè potui. Ut
itamē cultūs, ut venerationis
ineæ, quā M. hunc famā pericli-
tantium Advocatum prosequor,
luculentum testimonium exhibeam;
pauca hæc, quæ privatim scri-
psoram, in publicum profero.
Causam, ex ipso orationis argu-
mento, nullo labore assequeris.
Quis enim mortalium in lucem
prodiit, qui omnium hominum
vota

vota explevisset? qui desideriis fecisset satīs? qui invidorum calumnias, æmolorum obtrectationes, coævorum expostulationes plenè evasisset? ad modestiam composito vultu incedas; ut Assentator, ut Simulator traduceris: bilari ore, læta fronte, festivo itu, in conspectum familiarium incidas; pro remisso, disoluto, levitatis amatore te habebunt: tempori, & occasioni servitus jam facetus, jam submorsus appareas: subdolus, & veterator continuò audies. Quibus, ut superior evadas, Patrocinium Divi Joannis implorare consuefas.

DE PATROCINIO
D. JOANNIS NEPOMUC.

ORATIO XIV.

Bene habet : fortunato sanè
omine , auspiciis quām opti-
mis condiximus; si vos quidem, ut
de salute proprii capit is, ut de
suavissimis liberis, de charissimis
conjugibus , de optimis Genito-
ribus, Magno huic famâ labo-
rantium Advocato vota nuncu-
petis ; ego verò, ut spem, ut ex-
pectationem vestram proveham,
ut religionem confirmem. Bene,
inquam, se res nostra habet; &
arcano, nescio quo Numinis af-
flatu animis invalescimus. Vere-
cundum quippe timorem, & in-
genuam, sacrāmque formidinem,

quam,

quam, in omni dicendi principio,
nunquam non experior, felicissi-
ma, nec expectata conversione,
in placidam, quietam, lenem tran-
quillæ mentis securitatem, sen-
tio commutari. Cùm enim non
scripta, sed cum uno quoque no-
strûm in lucem edita, non incisa
tabulis, sed naturæ humanæ in-
genita, nobiscum creverit, no-
biscum adoleverit honestatis lex,
& decoris regula; cuius ductu,
usque adeò præfractè, clari no-
minis gloriam propugnamus; ut
si nobis eligendi optio deferatur,
nemo sit, qui non malit, in acer-
bissimam calamitatem incidere,
quàm famæ innocentiam in di-
scrimen præcipitem dare: ab in-
famiae metu, quèm ex incultæ di-

Etionis jejunitate conceperam,
præter spem, & expectationem
repentino solutus, luculenter ex-
perior: Divum Joannem Nepo-
mucenum, pro Magno boni no-
minis Defensore, jure optimo,
ab universo Fidelium cœtu habe-
ri. Quamvis enim absolutæ, &
excellentis eloquentiæ in salibus
urbanitatem, in affectibus impe-
rium, in conciliandis animis cal-
liditatem, in permutandis dissi-
dentium opinionibus inexpu-
gnabile momentorum robur, pro
decore, contextu, majestate ora-
tionis advocâssem: si tamen me
concidere animô, si ad singula
hærere, si vocem, si actionem
sensui repugnantem efformare
contigisset: quem quæstum gloriæ,

ex

ex reconditæ literaturæ nundinatione facturus eram ? quod lucrum , in domum quisque suam retulisset? nunc itaque AA. Spectatissimi , qui hac mente , ad sacram hanc ædiculam convenistis ; ut vitæ vestræ claritatem , splendorem , amplitudinem Divi Joannis Nepomuceni tutelæ concredatis : auribus , ac animis favete , Magnūmque hunc famâ periclitantium Patronum , & Propugnatorem non immerito nuncupari , hilare audite.

Usque adeò arcana sunt Dei præpotentis consilia , & multiformis ratio humano generi beneficiandi ; ut res prorsus deploratae , quibus lamentabile dispendium rei agrariæ , pecuariæ , domesticæ , militari , quibus detri-

mentum optimis artibus, quibus exitium Reip. quibus religioni vastitatem illatum iri formidabamus: in lucra, in emolumenta, in hilaritatis signa sæpenumerò convertantur. Cùm enim virtutum natura flagitet, ut magis arduis, & longè difficillimis laboribus exerceantur: ab adversis autem, voluptatique repugnantiibus studiis, uniuscujusque hominis propensio abhorreat: quid æquius, quam si, probitatis cultores, & vitæ sanctioris cultioni dediti, qui dum aurâ hâc mortali spirant, viles, abjecti, ærumnosi apparent; cùm vitâ cesserint, & inter Cœlites relati fuerint, patrocinium misellorum suscipiant? quid æquius, quam cùm in

unum

unum aliquem inciderint, qui aut
iisdem calamitatibus divexus est,
quibus divinos ipsi honores ade-
pti sunt, aut qui eadem pietatis
officia frequentat, quæ illis bea-
titatem sempiternam attulerunt:
quid, inquam, æquius, quam si
contentione summa in id incum-
bant: ut de salute periclitanti o-
pem in tempore afferant; ut va-
cillantem confirment, opitulentur
nutanti? quid æquius, quam si,
in Patronos, in Advocatos, in
Propugnatores electi, clientibus
suis præsenti ope subveniant: ut
nempe singuli, cum spiritum du-
cerent, certum virtutis genus præ-
cateris excolendum suscepere?

Jam verò, quid in gloriosissi-
mo Martyre, cuius memoriam

anniversaria dictione recolimus, singulare, quid maximè rarum eluxit? nam firmitudine, & constantiâ; gloriam veri Numinis propagandi ardore; rerum æternarum commentationibus, eruditione, doctrinâ, cum viris Apostolicis concertavit: integritatem conscientiæ, munditiam corporis, virginalis innocentiae decus, ab intaminatis castissimarum Virginum cœtibus mutuari potuit: in concilianda civium benevolentia, in rerum fluxarum contemplatione, despicientia, neglectu eorum vestigiis institit; quibus omnia communia fuisse sacræ Literæ attestantur: sed inexplicabilis sollicitudo, quâ bonum cujúsque nomen, ab infamia vindicare in con-
sue-

suetudine habuit, unius Joannis est: cætera plurimis Beatorum communia.

Sermonem autem darem hominibus, si literaturæ vestræ AA. Spectatissimi probè conscius, eam vobis mentem inesse ambigerem, quam & illiterati nullo sudore affequantur. Quis enim non novit, in protegenda alieni nominis honestate, vix quemquam melius excellere, quam qui ità comparatus sit animo: ut priusquam alterius famæ dignitatem in periculum conjici videat; ipsem et eligat amplissimos dignitatum titulos dimittere? Regia munera, thesaurorum spem, divitias vectigalium, delicias aulæ, & plura his

blanditiarum invitamenta contemnere? despicere? aversari?

Utinam verò satìs facultatis nanciscerer ad eloquendum! darem operam: ut callidissimæ pollicitationis illecebras, ut largissimas præmiorum merces, ut opulentissima Sacerdotia, ut infulas nobilissimas, ut inæstimabilem auri, & gemmarum vim, ut regiæ domūs blandimenta, ut honoratissimos in Rep. fasces, securæ, magistratus coràm intueri possetis: quæ omnia, effusa liberalitate prodigè spondebat Wenceslaus; si Divi Joannis constantiam labefactare, perfringere, dissolvere; si sacrosanctam taciturnitatem expugnare; si eas peccatorum maculas, quas, in Sacramento

mento Pœnitentiæ, apud Sacerdotis aures depositum Regina, sacrilega curiositate cognoscere, si ex conscientiæ Arbitro audire tandem mereretur. O præpostaram ulciscendi libidinem! O detestabilem vindictæ cupiditatem! O nefariam petitionem! cùm enim consceleratissimi Regis, Uxor longè piissima, æquis oculis ferre non posset, cùm tot scelerum larvas in dies enasci doleret; quas barbara Wenceslai crudelitas, effrænis libido, procax impudicitia consciscebatur, alebat, propagabat: perditissimum Principem salutaribus monitis, ad meliorem frugem revocare, officii commōnere, offensionis publicæ arguere non cessabat. Quotidianæ istæ,

istæ, religiosissimæ Conjugis monitiones, quæ sceleratissimum quémque, à flagitorum turpitudine avocâssent; ad damnabile cognoscendi desiderium Regis animum excitârunt: quibus Regina piaculis teneretur? quas conscientiæ labes ad sacrum resipiscentium tribunal detulisset? utrùm vitæ anteactæ consuetudini, salutis monita, quibus Mari-tum urgere, impellere, incitare non destitit, responderent? an iis ipsis vagæ libidinis cupiditatibus irretita viveret, quibus Mari-tus pecudum ritu, non tam duci, quàm raptari videbatur? in hunc finem, incredibili beneficentia, innumerabilitatem pecuniæ, nominis gloriam, majestatem, ampli-

plitudinem polliceri: Cœlum, & terram obtestari: minas precibus miscere: ad promissorum dulcitudinem, ad blanditias, ad illecebras redire: jusjurandum interponere: sacra omnia, & profana in causæ patrocinium advocare. Sed, tot, ac tanta agendo, nihil demum egit. Tam robusta enim firmitudine animi, vaferima rerum fugatium invitamenta contempsit Joannes: ut præclaro hoc facinore, & immortalitatem famæ redemerit; & quām studiosè alienum honorem tueri deceat; omnium sæculorum memoriæ consignârit.

Itaque fateamur, necesse est: jam usque à primis Religionis Romanæ temporibus, nusquam gentium,

tium, alterum surrexisse Sacerdotem, à quo secreti fides, quam pro sacro tribunali Pœnitentibus facimus, tam acriter propugnata sit. Sed, ne cuiquam in mentem veniat, rem hanc non satis exploratam videri posse; cedò unum aliquem ex tot Sanctissimum Antistitum, Pontificum, & Ministrorum Dei millibus, cui atrocissimas tyranni minas despiceret; ferreis vinculis constringi; in teterimam custodiam conjici; cui verbera, faces, eculeum, reliquāmque carnificinæ crudelitatem experiri; cui vitam cum morte gloriose permutare contigisset: ne sanctissimam religiosi silentii obligationem inimico veritatis, Sacrorum hosti, Dei contem-

temptori prostituat? omnium attatum annales, gentium tabularia, historicorum codices evolve: primô locô occurret Joannes.

Rara sunt hæc, vel potius raffissima, propugnati honoris argumenta; jam verò, quanto rarius videbitur: quod Magnus hic taciturnitatis Magister, ad Regem truculentum, ab infamiae labe vindicandum studiosissimè præsttit? nam, posteaquam impiissimus Wenceslai animus, ad evertendam Divi Joannis perseverantiam, largissimas promissiones nihil omnino posse animadvertis; ut ab invito etiam, secreti confessionem exprimat: in obscuras Regiae latebras ductum, crudelissimis tortoribus excarnificantum,

ne-

nefaria proditione consignat. Hic barbari impietatis ministri, Virum Sanctum corripere, nudare, deligare, cædere, carentibus laminis adurere, in eculeo extensem dilaniare jussi, tanta crudelitate, in taciturnum desæviere; ut tyrannus ipse, atrocissimi spectaculi pertæsus, ex lictorum manibus verbera, ignes, vincula, aliisque id genus barbariei instrumenta excusserit; vaferima simulatione, erroris veniam, condonationem, remissionem D. Martyrem poposcerit, & multis laudibus exornatum, multis promissionibus, blanditiis, assentationibus delinitum, liberum, hâc vice, abire permiserit. Quid vobis videtur AA. utrum sacrilegam

Wen-

Wenceslai impietatem, ad sacerdotum Collegium detulit Joannes? an Civium, an Antifititis, an Summi Romanorum Pontificis opem, adversus impium Principem imploravit? an saltēm cuiquam familiarium de illatis sibi injuriis questus est? ut Regis nomen, ut famam, ut dignitatem sartam teatam asservaret? nihil eorum, quæ ab scelerato parricida passus est, ulli mortalium, quoad vixit, revelavit.

Nemo igitur magis inconsultè, magis impudenter hallucinari unquam potest; quam, qui probè cognita D. Joannis taciturnitate, qui perspectis in propugnato alieno honore laboribus, curis, & studiis; temerè, & audacter nega-

Ee verit:

verit: Magno huic famæ, & silentii Custodi, de bono nomine periclitantium Patrocinium, jure æquissimo deferri.

O felix! iterum, iterumque felix Bohemia! tibi etenim arca-
na Numinis dispensatione con-
cessum est, primum hunc, pro
sacri tribunalis fide, pro sacerdo-
tali silentio, cum sacrilego Rege,
decertantem Christi Militem ocu-
lis usurpare; honorum insignia,
divitiarum abundantiam, Regiae
commoda, gratiam, favorem,
magnô animô conculcantem in-
tueri: acerbissimos cruciatus, in-
victa fortitudine perferentem cer-
nere: tormentorum, carceris,
vinculorum acerbitate confectum
propius aspicere: excarnificatum

ver-

verberibus, fatigatum igne, honorem, & dignitatem Regiam procurantem videre. Ad extremum, tibi uni datum est, pro sacra taciturnitatis Lege aquis hau-stum, flumine educere; tumulo inferre; inter Indigetes numerare; de gloria, de honestate nominis sollicitis Patronum, Advocatum, Tutorem proponere, celebrare, divulgare.

Age itaque, ô Magne honoris, & melioris famæ Propugnator! si cui nostrum, qui ad reddendas tibi laudes confluximus, infamiae dedecus inustum iri, si ignominiae turpitudinem adhæsuram, si contumeliae fordæ, si probra, si notas, si maculas imminere pervides: malum omne, in eorum capi-

436 DE PAT. D. JOAN. NEP.
ta rejicito, qui te, Magnum bo-
næ æstimationis Defensorem esse,
perditè inficiari audent, &
negare.



DE

**De Literarum cultura, & felicitate,
Ex Patrocinio
D. JOANNIS NEPOM.
enata,
ORATIO XV.
Habita Nitriæ,
Ad Juventutem Literariam,
XVII. Kal. Jun. An. MDCCXXXVIII.**

E P I S T O L A AD ORATIONEM XV.

Communi naturæ humanæ vi-
tiō fieri amat: ut primus fer-
vor, quōd quantumvis arduum, ac
difficilem laborem, summa volun-
tate aggredimur, pedetentim lan-
guescere, ac tepescere soleat. Na-
tiva hæc ægrimonie, ex literarum
exercitationibus, in juventutis
teneritate potissimum enascitur.
Sive enim imbecillitate, ac imma-
tura doctrinæ, & laudis appeti-
tione, sive corporis ad devoranda
Scholarum tædia non satīs con-
firmati debilitatione contingere
soleat; contingit certè; ut adole-
scentes ingenui, qui eō animō
Scholas adiverunt, quōd intimas
artis

artis præceptiones exhausturi credebantur, procedente tempore, nonnihil à primo fervore remittant. Qamobrem, cùm partium suarum esse Magistri intelligant, languentes discipulorum animos excitare; in omnem promovendæ literaturæ occasionem intenti durare consueverunt. *Hujus argumenti præsens est oratio.* Tunc enim ad pietatem, & literas inflammandi erant juventutis animi, cùm amœnitate verni temporis, ad deambulatiunculas invitabantur.

DE LITERARUM HUMANIORUM
CULTURA, ET FELICITATE,

ORATIO XV.

Quemadmodum novam Reip. literariae felicitatem gratulor, quam ex tutela Musarum nostratum Statoris, D. Joannis Nepomuceni recentem assecuti sumus: ita beatos vos, & fortunatos pronuncio, quotquot fausta hac tempestate, ad humaniorum scientiarum studia accessistis. Quamvis enim Atheniensium juventus prosperrimum eloquentiae cursum, hac potissimum olympiade tenuerit, quam Leontinus Gordias, quam Isocrates, quam Protagoras, Prodicus Chius, Hippias Eleus, aliquique docere se profitebantur; quemadmodum causa

in-

inferior, dicendo superior esse posset: quamvis adolescentes ingenui, quorum studia in M. Marcelli, C. Cassii, Q. Hortensii, Jul. Cæsaris, aliorumque Oratorum ætatem inciderunt, quos ad centum & sexaginta in Bruto enumerat Cicero: quamvis, inquam, ingenui adolescentes, qui florentibus Romanorum rebus humanioribus vacabant literis, secundo fortunæ statu, in ediscendis optimis artibus uti omnino potuerint: mihi tamen rerum vestrum successus multò feliores videntur. Literarum enim vestrum cultionem, & exercitia in meliores hos annos rejecta magnifico, quibus M. rei literariæ Procuratorem, pro subsidio mo-

ris est advocare. Cùm ille talis reapse sit, qui in moderamine aetionis, qui inefformanda dignitate orationis plurimùm possit. Utrúmque quām paucissimis complectar, modò ex vultūs, oris, & totius corporis compositione, modò ex diligenti attentione conjiciam, hoc genus argumenti, vobis cumprimis arridere.

Duo sunt, quæ orationis strukturæ mirificè deserviunt: ingenii acrimonia, & felix reminiscendi vis, quæ fidelis sit rerum inventarum custos, & procuratrix. Harum leges, & officia M. Tullius largiter complexus, non solum ad ingenii laudem pertinere judicat: vehementes animi motus, ad acutiora consectaria inveniendum,

dum, quibus propositi veritas liquidò demonstretur, ad rationationum vincula contexendum, quibus adversarii ex insidiis implacentur: ad compositam, ornatam, gravem, sapientem dictiōnem elaborandum, cuius suavitudine aures, & animi audientium demulceantur: ad accuratam concitandorum affectuum, frangendarum cupiditatum, impellendae voluntatis, suō locō, tempore, & ordine recordationem: verū etiam, his Dei muneribus prorsus destituto, nullam viam, ad eloquentiæ gloriam patere affirmat. Quòd si tamen melioribus his naturæ dotibus mediocriter instructo, in Oratorum numero esse, animus accedat; assidua exer-

exercitatione, fastidioso usū, operoso labore, innumerabilitate præceptionum has easdem emendari, perfici, perpoliri posse, in Principe Oratorum Demosthene didicimus. Quām autem pauci numerati sunt, quos usque adeò excellentibus animi, & corporis donis liberalis natura instruxisset? qui citra laboris fastidium, ac sudoris expulsionem, dignitatem eloquentiæ adipisci potuissent? omnis, aut ferè omnis profectus faciendi spes, assidua meliorum scriptorum lectione, laboriosa solicitudine, solerti imitatione continebatur.

Vos autem Juvenes lectissimi, quibus ea felicitas contigit, ut sub protectione, sub tutela D.

Joan-

Joannis Nepomuceni liberalibus
disciplinis informari; ut M. famâ
periclitantium Advocati clientes
audire possitis: si quam, in argu-
mentorum delectu, & firmiorum
momentorum indagatione, si
quam, in affectuum ciendorum
cura, varietate, frequentia diffi-
culturam sentitis; si nativam fa-
cilitatem, res per ordinem dige-
rendi non satis cumulate accepi-
tis; si ariditate elocutionis, si vo-
cum jejunitate, si horrore ser-
monis, si inquinatæ dictionis con-
fuetudine occupati tenemini; si
labili memoria ea, quæ chartis
illiveritis recordari ægrè admo-
dùm, nec nisi difficulter consue-
vistis; ad Protectorem, ad Sta-
torem literarum vestrarum humili-

li, & devota prece acceditis, & momentô temporis, præsentem tanti Numinis opem exoratis.

Dei etenim Opt. Max. concessu factum est: ut D. Joannes, qui ad redimendum Reginæ honorem excarnificari elegit, qui pro sacra silentii lege crudelissimam necem subire non expavit; hanc à Divina liberalitate remunerationem consecutus sit: quòd eorum nomini, & æstimationi propitii Cœlites faveant, eorum famæ prospiciant, quos glorioso taciturnitatis Magistro devotos invenerint. Cedò autem, quòd infamiae dedecore laborare, in tenera hac ætate, quâ notâ signari in primo pubertatis aditu usquam potestis, quam si, exacto tempore,

re, quô optimarum scientiarum bene periti, in divina benedicendi facultate liberaliter instituti, ad permovendos, repellendos, perterrendos Auditorum animos quam optimè comparati, ex ludo literario exire debebatis; rerum earum, quæ ad formandum Oratorem pertinent, expertes, rudes, planèque imperiti apparereatis?

Huc etiam facit studiorum vestrorum similitudo, & exercenda adolescentiæ instituta omnino eadē, quæ D. Joanni lubricum Juventutis iter, citra offensionem decurriendi facultatem obtulerunt. Novit ille, quantum eloquentiæ officiat crassitudo, tarditas ingenii: quam acri intelligentiâ argumentationum

num explicatio opus habeat; quam
diuturnō studiō lectissimorum ver-
borum copia, troporum flores,
figurarum gemmæ, infinitus pro-
pemodùm eruditionis thesaurus
comparetur: Novit etiam, pro-
maturanda ope solicitatus, cupi-
dè, & in tempore subvenire, au-
xilium ferre, opitulari.

Ut demum ad perfecti Ora-
toris munus desiderari nihil pos-
sit; eādem D. Joannis curā, eā-
dem liberalitate, de vocis mo-
deramine, de actionis venustate,
decore, gratia, toties vobis pro-
spicitnr, quoties ad notas suppli-
candi formulas recurritis, quibus
præsidium famæ vestræ Tutoris
efflagitare, à pueris didicistis.
Námque, si Tullio credimus: *non*

tam

tam referre qualia sint; quæ dicas, quād quomodō dicantur: eadem infamiæ turpitudo, indisolutam declamandi rationem comitatur, quæ præpostoræ orationis flucturæ adhæreret.

Illud tamen boni Superi prohibeant: ne quis vestrūm falsò sibi persuadeat, ad emendam eloquentiæ laudem oscitantibus, ac ignavis Adolescentibus aditum referari; aut contracta dimidiæ horæ petitione, in familiam, & clientelam M. hujus boni nominis Advocati quemquam referri confueuisse: nisi enim, ad quotidianam, diligentemque literarum tractationem prolixior, & in singulos dies distributa supplicatio accesserit; frustra operam contri-

visti. Neque enim Divorum immortalium munificentiae convenit inertissimum otium, socordiam, languorem Juventuti instillare. Ex adverso verò, in literis, in virtutibus progressionem polliceri sibi unusquisque potest, qui se literarum studio, qui D. Joannis Nepomuceni cultui, venerationi, honoribus totum devoverit.

Nemo igitur sit, qui felicitatem studiorum suorum in hoc sistam esse non agnoscat: quod in ætatem hanc servatus, peculiari rogatu D. Joannis clientelam assequi, patrocinium obtainere, tutelam mereri; atque adeò in Orationem excrescere, in sua habeat potestate: modò exercitationibus Scholasticis naviter inhærere, hu-

manioribus literis, ad expugnanda adolescentiæ vitia familiariter uti, subsidium à M. famâ laborantium Advocato, diuturna obsecratione impetrare contendat. Hac enim arte, ab infami negligentiæ turpitudine, à probrofa inscientiæ nota, ab ignaviæ labe, & infamia absoluti, optimarum artium operi, supremam manum, felici exitu admovemus.

O. A. M. P. J.



IN.

INDEX ORATIONUM

Eo ordine, quō habitæ sunt.

Ann.	Pag.
1733. De Sponsalibus D. Catharinæ.	196
1734. De Neglectu literarum huma- niorum.	217
1734. De Sepultura D. Catharinæ.	118
1735. Eucharisticon pro novo thea- tro.	326
1737. De D. Stephano Primo Rege Hungarorum.	257
1737. De Patrocinio D. Catharinæ.	293
1737. De Instauratione Magistratū Mariani.	178
1738. De Laudibus Matthiasovszky Episcopi Nitrienfis.	62
1738. De Literarum cultura.	440
1738. De Visitatione B. V. MARIE.	90
1738. De Verborum proprietate.	148
1739. De Castitate D. Catharinæ.	360
1740. De Expedita ratione Philosó- phiæ studendi.	390
1740. De Assumptione B. V. MARIE.	33
1741. De Patrocinio D. Joannis Ne- pomuceni.	418

Pag.	Lin.	Menda	Emenda.
22	16	accenderit	accident.
34	7	contentionem	contemptionem.
50	13	est ne	est, & ne.
118	7	effenderitis	offenderitis.
146	10	absturgescentis	abs surgescentis.
152	18	& dudum	ut dudum.
176	3	nonnullos	nonnullas.
178	10	Prætori	prætorio.
180	12	possit	possint.
181	8	qui cùm	qui cum.
182	17	genetis	generis.
229	19	præsepibus	pro præsepibus.
235	3	conivetus	connives.
276	6	providentissimis	providentissimi.
281	2	decumani	decumanum.
306	14	adeptio	adoptio.
316	9	Fab.	Tab.
339	13	servilis	senilis.
344	3	Rep.	Reip.
368	12	cærimoniis	ceremoniis.
372	19	voluntatis	voluptatis.
375	11	contentioni	contemptioni.
416	3	Kal. Maii	Kal. Junii.
418	6	si vos quidem	vos quidem.

A D M O N I T I O.

Si quis fastidiverit nonnullas dictiones,
quarum usus apud Christianos frequens est;
eas, per me licet, aliis permutet.

v. g.	Præsul	-	Antistes, Pontifex.
	Devotus	-	Pius, Religofus.
	Devotio	-	Pietas, Religio.
	Seminariuin	-	Collegium.
	Omnipotens	-	præpotens, &c. &c.









